


TM 0553

Theodor Mahlermann

10. Okt. 2005


Burgdorf/CH

*



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann





43

2

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PECCATI ORI-
GINALIS

Existentia & Essentia,

seu

in qua ostenditur,

quod illud revera detur & quæ ejus sit
quidditas & natura.

Quam

Assistente Divini Numinis gratia,

PRÆSIDE

DN. JOHANNES GUILIELMO BAJERO,

SS. Theolog. Doct. ejusdemque Profes. Publ.

Domino Patrono & Præceptore suo pia ve-
neratione æternum colendo,

Publice disquisitioni submittet

JOHANNES BALDUINUS VOLMER,
HANNOVERANUS,

Ad D. XXVII. Januarii ANNO cl^o l^o LXXXIII.

JENÆ, Typis Johannis Jacobi Bauhoferi.



SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
GEORGII VVILHELMI
Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis,
Domini nostri clementissimi,

In secretiore Consilio
SENATORIBUS EMINENTISSIMIS,
de patria nostra optime meritis,

VIRIS
PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS,
DN. GEORGIO CHRISTOPHORO
ab HAMMERSTEIN,
Præfecto magno, Hæreditario Domino in Stienenburg/
Gefmel/ Hasperde/ &c.

DN. ANDREÆ Gottlieb à Bernstorff/
Hæreditario Domino in Bernstorff & Wehdendorff/ &c.

Nec non

MAGNIFICO, SUMME REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

DN. JOACHIMO HILDEBRANDO,

SS. Theolog. Doct. longe celeberrimo, sacri Synedrii, quod
Cellis est, Assessori gravissimo, & Ecclesiarum inclyti Ducatus
Luneburgici supremo Superintendenti,

Dominis & Patronis meis humilimò obsequiò
æternum venerandis,



PER ILLUSTRÉS ET GENEROSIS-
SÍMI DOMINI,
MAGNÍFICE, SUMME REVEREN-
DE, ET EXCELLENTÍSSÍME
DOMINE.



Qvod illustrium Vestrarum
Virtutum splendori, qui-
bus inclytum Ducatum

a 2

Lu-

Luneburgicum indies feliciorē
redditis, omnes boni patriæ saluti ve-
rè faventes jure merito debent; illud
& mihi sine temeritatis notâ inte-
grum esse plane confido. Nimirum
hac mente accedo, ut PERILLUST.
V. V. GENEROS. & MAGNIF. T. EXC.
fausta quævis & felicia precer, Deum
O. M. ex animo venerans, ut non
tantum annum quem auspicati fu-
mus, sed & complures alios felicissi-
mè, & quâ re PERILL. GENEROS. V. V.
& MAGNIF. EXCELL. T. cum rectè senti-
entibus veram felicitatē metiri scio,
Ec-

Ecclesiae & Reip. bono, reiꝑ literariae
emolumento, à quo minime aberit
vestri nominis gloria, Vos decurrere
clementer velit. Voti hujus non
ficti testimonium apud Vos, Domi-
ni, esse velim chartaceum hoc mu-
nus, quod ad PERILL. V. V. GENE-
ROS. & MAGNIF. T. EXCELL. pedes
supplex & Venerabundus depono.
Haud dignum equidem est, quod
tam illustri conspectui offeratur; sed
tenuitatem ejus compensabit devo-
tissima vobis bene precandi volun-
tas. Hanc non aspernabitur illu-
stris

stris vestra humanitas, quam propriam PERILLUST. V. V. G. G. & M. T. E. in tantâ licet fortunâ Virtutem suspiciunt & venerantur, quotquot supra vulgus sapiunt. Accedit & alia haud exigui momenti ratio, quæ me impellit ut VOS interpellare auserim. Quod enim Principali hætenus munificentia mihi fulto in illustribus Academiis JULIA & JENENSI animum meum studiis optimis excolendi commoditas non defuerit, id vestro favori, vestræ clientelæ, in quam me recepistis, cum primis debeo,



beo, certò persvasus, me ingrati a-
nimi crimen effugere non posse, ni-
si hoc ipsum & publicè deprædicem,
& qualescunque has pagellas quasi
tabellulam beneficii in me collati
memoriæ consecrem. Uti igitur DI
quandoque tenui hostia contenti e-
rant, si quis thura merumque non
haberet; sic etiam ut vos, Domini,
in exili hoc munusculo devotum
magis animum, quàm rem ipsam
spectare, & clientem vestrum ulte-
riori favore & patrocínio dignari ve-
litis, quâ possum, & par est, obser-
vantia etiam atque etiam rogo. De-
us

us Vos magis magisque sospitet, amplissimæ V. dignitatis statum florentissimum conservet, factaque & consilia Vestra Patriæ nostræ porro iubeat esse salutaria. Dabam JENÆ
ipsis Calendis Januarii Anno
c̄l̄l̄c̄LXXIII.

PERILLUST. V.V. GENEROSIT.
&
MAGNIF. T. EXCELL.

Devotissimus Cliens

JOHANNES BALDUINUS VOLMER.



I. N. D.

THESIS I.



x mente Theologorum pariter ac Philosophorum vera peccati descriptio (accurata enim privationum definitiones non dantur) hæc esse potest: *Peccatum est carentia perfectionis secundum legem inesse, vel adesse debita.* Id unâ voce *ἀνομίας* effert S. Johannes 1. Ep. c. 3. v. 4. dicens: *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.* Hic particula privativa *α* formaliter importat privationem, quæ stat quasi loco generis: Differentia autem desumitur à lege, à quâ defleat quod peccatum dicitur. Nimirum *ἀνομία* est *τῆς ἐννομίας*, i. e. privatio conformitatis cum lege. Natura igitur peccati æstimanda est in ordine ad legem, ut ad regulam & mensuram ejus quæ abest perfectionis seu rectitudinis, cum tamen adesse deberet; perinde ut nec de bonitate seu rectitudine actionis sine respectu ad legem, ad cuius præscriptum conformari debet, judicare licet.

II. Descriptio ista peccati modo adducta si ulterius sit declaranda, ductu luminis Naturæ cum Thoma part. 1. quæst. 48. art. 5. 6. forte dicendum, quod malum culpæ (seu peccatum) sit *carentia perfectionis debita secundum liberam actionem*; eamque vel plane omissam, unde peccatum Omissionis, vel male exercitam, unde peccatum Commissionis dicitur. Cumque quodlibet etiam vitium sit malum culpæ, seu peccatum, quamvis in actione libera non consistat, descriptionem ampliat B. Dn. Petrus Musæus Instit. Me aph

A

10. 3.



c. 36. §. 32. hoc modo: *Malum culpæ est carentia perfectionis debite, secundum liberam actionem aut qualitatem actione liberâ crebro iteratâ acquisitam.* Nimirum, invenias nonnullos qui habitum alicujus vitii contraxerunt, ut non possint deinde, occasione agendi objectâ, aliter agere quam vitiose: non tamen propterea sunt extra culpam. Nam quia ipsi ex crebris vitiosis actionibus libere exercitis talia vitia habitualia Intemperantiæ, furti, &c. sibi impresserunt, cum nempe adhuc esset in potestate eorum integrâ positum, sic agere, vel sic non agere, hæc ipsa & inde prodeuntes actiones, quia ex ἀυτεξοσίω quod peccato imbutum erat, pendent, peccati nomine merito veniunt.

III. Ex quibus apparet, quod nemo (si secundum dictamen Naturalis luminis philosophemur) culpam sibi peccando contrahat, nisi cum aut agit libere, quod non debet, aut quod debet libere omittit, aut (quod ad liberam actionem proxime accedit) quando ex habitu vitioso actionibus liberis crebro iteratis acquisito, adeoque difficulter mobili, agit. Ast Scriptura S. altius assurgit, & ipsos quoque *Motus primo primos*, qui judicium rationis anteverunt, nec libere eliciuntur, peccata esse, & in foro divino ad culpam imputari, asserit: imo ipsos infantes, in quos plane non cadunt βέλευσις & inde prodeuntes actus deliberati & præelecti, peccati reos agit. Reliquum igitur erit, ut soli DE I verbo revelato hanc prærogativam tribuamus, ut id ipsum pro adæquato, & ex omni parte sufficiente peccatorum indice religiose habeamus. *Cum enim hæc quoque peccati pars sit, (sunt B. Lutheri verba) quod peccatum in natura absconditum manet, nec potest totum plene cognosci, necesse fuit id divinitus revelari.* Unde ex re & vero iterum ait: *Ex illis insignioribus hunc locum esse de peccato quos ratio nescit: & totius Scripturæ seu Theologiæ difficillimam doctrinam esse, sine qua impossibile sit Scripturam recte intelligi; prout verba B. Viri citat*
Chri-



Christophorus Pelargus, Repetitione præcipuorum Christi-
fidei articulorum quam edidit 1606. cum adhuc orthodoxus
esset. Disp. 9. th. 2.

IV. Illa igitur si adhibeatur in consilium, satis aperte
docet, peccatum cum tenerrimis infantibus, etiam in ipso
adhuc utero materno constitutis initium & originem sume-
re, & deinceps singulis connasci. Hinc *Peccatum Originis*
dici consuevit, non quod sit absolute primum peccatum,
sed uti ex modo dictis constat, respectu cujuslibet hominis
naturali modo prognati, quod nimirum inter omnia pec-
cata, quæ ipsi insunt, primum, fons item & origo cetero-
rum peccatorum existat. Hoc idem peccatum hominis
primum cum apposito vocamus *peccatum Originis Originatum*,
si consideremus, quod quasi originatum sit, seu originem
suam trahat ex peccato primorum Parentum (quod *pecca-
tum originis Originans* inde dicunt) & ab iis in nos propagetur.
Age ergo accingamur ad probandum e Sacro Codice, dari
tale, quod Originis dicimus, peccatum, i. e. *Carentiam per-
fectionis secundum legem divinam* tenellis etiam infantibus in-
esse vel adesse debita. In antecessum autem tribus quasi ver-
bis monebimus, quod deinceps uberius erit explicandum,
quænam sit illa perfectio, quam lex divina in infantibus
requirit? Fatemur infantibus legem non esse positam, ut
circa illam actus liberos aut exercent, aut omittant, cum
ex præmeditata deliberatione & usu rationis agere non
possint, eoque distantiam boni & mali ignorare dicantur
Deut. i. v. 39. Alia autem ratione lege divina tenentur in-
fantes, vi cujus natura ipsorum debebat esse conformis or-
dini primævo à Deo instituto, qui hic est; ut omnes poste-
ri Adami imagine divina (cujus potior pars erat *Justitia o-
riginalis*) polleant, adeoque ipsi etiam infantes. Cum au-
tem hodie omnes infantes imagine divina tam quoad a-
ctum primum quàm secundum considerata, destituti na-
scan.

scantur, hæc Carentia seu absentia contrariatur legi/divinæ ab initio positæ, & sic est peccatum. *Peccatum enim est avo-
mia sive illegalitas.* Licet igitur infantes actibus cum rationis
usu, præelectione & assensu conjunctis, legem Dei non vio-
lent, tamen natura infantum propter privationem imagi-
nis divinæ, & congenitam sibi depravationem & corruptio-
nem, non est conformis legi sive ordini divino primitus
instituto.

V. Sententiam igitur nostram probaturi, non multitu-
dine, sed pondere argumentorum certabimus. Prodeat in
medium Jobus, Vir ille sanctissimus, in cujus vita tantum
abest ut vestigium ullum gravioris alicujus criminis appa-
ruerit, ut potius in ipsum adhuc Dei gravissimum illud e-
logium exstet, de quo nulla unquam posteritatis ætas con-
ticescet, nullæ unquam literæ silebunt, omnem scilicet, quæ
in mundo eo tempore esset, probitatem maxime in ejus
persona constituisse, Cap. I. v. 8. Hic ipse vir egregius atque
omni virtutum laude cumulatissimus, sanctitatis suæ ab ipso
DEO summis laudibus exornatæ quasi immemor Cap.
XIV. v. 4. ita inquit: *Quis mundum dabit ex immundo?* quibus
haud obscure humanæ naturæ pravitatem ab ipsa conce-
ptione & nativitate confitetur. Habent hîc quod excipiant
Sociniani; nec dubitat se invenisse non quod pueri in fa-
ba, Christophorus Ostorodus (B. Henningi Ostorodi Pasto-
ris primùm Eimbeccensis, deinde Goslariensis pii Parentis
degener filius) Instit. Germ. cap. XXXIII. dicens: Jo-
bum non de quavis impuritate ibi loqui, sed de illa
tantum, à qua nec Angeli, nec cœli sint immunes, quæ-
que non ex peccato ortum trahat, sed imperfectio-
nem notet creaturarum, cum summa DEI perfectio-
ne (quam non attingunt) collatarum; ipsumque Jobum
verborum suorum optimum putant esse interpretem Soci-
niani Cap. XV. v. 15. Sed respondemus Ostorodo, Jobum
qui-

quidem Cap. XV. v. 15. de ista impuritate, quæ imperfe-
ctio quædam negativa est creaturarum, idque respectu Dei,
à cuius perfectione infinita longissime abest creatura fini-
ta, verba facere, sed cap. XIV. v. 4. de alia impuritate ipsi
sermonem esse, nimirum de illà, propter quam homo mi-
seriis & calamitatibus hujus vitæ, & tandem ipsi morti est
obnoxius v. 1, 2. Hæc autem impuritas non est quævis im-
perfectio respectu Creatoris (alioquin enim angeli ipsi mi-
serias & mortem participarent) sed est impuritas peccati,
sive ipsum peccatum, cujus stipendium existit mors: Rom.
VI. v. 23. morbi item, qui ad mortem disponunt, quævis
etiam infirmitates & afflictiones: hæc omnia enim ut effe-
ctus peccati in Scriptura Sacra passim depinguntur, & cum
iplos quoque infantes, (*à peccatis præreticis immunes*) pre-
mant, quid aliud, quæso, dicendum, quam causam proxi-
mam & immediatam tantorum malorum peccatum Ori-
ginis esse? Et ipsum æternam quoque mortem infantibus
consciscere certum nobis est, nixis clarissimis Scripturæ lo-
cis paulo post producendis. Nonnulli Theologorum pec-
catum Originis *Causam* quoque damnationis *adæquatam* di-
cunt, cum alii illud asserere vereantur, quæ liticula est phra-
sin potius & loquendi modum, quam rem ipsam concer-
nens, iudice B. Dn. D. Titio, Præceptore & Hospite olim
nostro etiam post fata venerando Colleg. MSS. super
Comp. Calixt. Certe si audire velimus Magnum Gerhardum
Tom. 4. l. de Bon. Operib. §. 34. *Incredulitas per quam abun-
dantissimum Christi meritum repellitur, causa damnationis immedia-
ta propria & adæquata est, non alia peccata, aliàs enim omnes da-
mnarentur, cum in omnibus sint peccata.* Nempe B. Vir haud
dubie per causam immediatam propriam & adæquatam,
intelligit causam talem, quâ posita, statim actu ponitur, &
non potest non poni id, cujus respectu causa dicitur; Et
sic fatendum est, peccatum Originis non esse causam im-

mēdiatam prōpriam & adæquatam damnationis ; quia po-
sito peccato Originis, prout in omnibus per naturæ corru-
ptæ conditionem ponitur, non tamen illicò omnes actu da-
mnantur. Et par est ratio aliorum peccatorum, quæ in-
credulitati finali contradistinguuntur. Posita autem incre-
dulitate finali, statim actu ponitur ac non potest non po-
ni damnatio æterna, juxta illud Joh. III. 18. 36. Alias autem si
causa adæquata dicatur, quæ ita se habet ad damnationem,
ut præter eam alia causa in eodem genere causarum non
requiratur, negandum non est, peccatum Originis recte
dici hoc sensu causam adæquatam damnationis, cum pec-
catum Originis etiam non accedente alio peccato causa-
re possit damnationem & *damnet atque afferat nunc quoque
æternam mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spi-
ritum Sanctum*, juxta verba Aug. Conf. Art. II. Quod ut
rectius intelligatur, observandum porro est, quod pecca-
tum Originis, quod successit in locum justitiæ Originalis
(*ut mox dicemus*) ex parte intellectus pariter & voluntatis
partim ἀδυναμίαν ad actus Spirituales eliciendos, partim
etiam inclinationem ad actus oppositos pravos ac pecca-
minosos, importet, adeoque ex se & extra statum regene-
rationis & conversionis, ipsam incredulitatem suo ambitu
includat, unde ipsum hac ratione spectatum utique damna-
tionis causa adæquata est, quatenus hominem revera sub-
jicit reatui mortis æternæ; atque homo ipse mortem ac da-
mnationem subit, quando cum peccato Originis, non inter-
cedente regeneratione aut conversione, finaliter premitur.
Quando autem homo cum peccato Orig. natus, regenera-
tur aut convertitur, equidem per fidem, quam consecutus
est, tollitur ab ipso reatus mortis ac damnationis æternæ, ve-
rum unà etiam peccatum ipsum Originis ex parte tollitur.
Nam per regenerationis aut conversionis actus in locum
plenæ privationis lucis Spiritualis ex parte intellectus, & in
lo,



locum carentiæ virium bonarum, ex parte voluntatis, fides succedit, quâ sicut privatio illa tanquam per oppositam perfectionem habitualement tollitur, ita simul ex vi ac dignitate objecti apprehensi, quod est meritum Christi, movetur Deus ad reatum illum, remittendo peccata, ab homine auferendum. Et licet naturales hominis facultates non solum porro ex se ineptæ sint ad actus Spirituales, sed & inclinatio quædam illarum ad actus inordinatos etiam post regenerationem aut conversionem in hac vita supersit, (quaratione peccatum Originis post regenerationem superesse in nobis dicitur:) sufficit tamen ad præsens, quod Peccatum Originis ne quidem amplius sic omnino supersit, prout ante regenerationem adfuit; cum illi, prout totam Carentialem Justitiæ Originalis, & sic etiam incredulitatem importat, post regenerationem fides ipsa succedat; Prava autem concupiscentia, quæ post regenerationem superest, & ad peccatum Originis pertinet, per eandem fidem jam expiata, atque à Deo remissa sit.

VI. Sed è diverticulo in viam redeundo, pergemus probare Peccatum Originis, testem adducturi Davidem Ps. LI. v. 7. dicentem: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea.* Graphicè admodum depravationem sui profundissimam depingit Sanctus Vates, dum se in iniquitate genitum, & in peccato conceptum esse affirmat. Excipiunt hîc cum Socinianis, qui easdem tibias inflant Arminiani, peccatum illud de quo Psalmista verba facit, ab Adamo derivatum, aut totum genus humanum eo inquinatum esse negantes: sed de sua persona tantum loqui, vel potius de matre sua, ad ostendendum, mirum non esse, si ab ea aliquam ad malum propensionem traxerit, quandoquidem cum eum concepit, & utero suo gestavit, peccati labe fuerit infecta. Sed exceptio hæc, qua dicunt hæretici ante nominati, quod David loquatur de peccato matris suæ, quo infecta ipsum genuerit, nulla est, cum

cum per totum Psalmum proprii tantum peccati, non alieni mentionem faciat. Cum primis autem in verbis controversis de se ratione conceptionis & nativitatis loquitur, quasi dicturus: Cum primum conciperet, & calefaceret me mater mea, eram in peccatis. Sed sic ceterorum hominum omnium naturali modo progenitorum eadem est ratio, iique pariter ac David in iniquitatibus concipiuntur, & peccatis maculati in lucem ex utero materno prodeunt, quod enim gignitur de carne, caro est, Joh. III. v. 6. Solus Christus qui non de virili semine, sed Mystico Spiramine à Maria virgine conceptus & editus est, hanc prærogativa pollet, ut ab ipsa conceptione & nativitate τὸ ἀγίου ab Angelo vocetur, Luc. I. v. 35. Pergunt Sociniani, & sensum verborum Davidis porro perversuri dicunt; *Hyperbolicam* eis inesse significationem, quâ suam ad malum proclivitatem exaggerare, non vero peccatum, in quo natus sit, indicare voluerit. Agnoscere nimirum Davidem, se ita omnivariis peccatis repletum esse, ac si ipsa conceptione peccator fuisset, duplicem ob causam; primo, ut animi sui demissionem coram Deo exponeret; secundo, ut tanto eum citius ad misericordiam commoveret, quia scilicet peccato ita sit affixus, ut se eo nullo modo liberare possit, & invitus quodammodo peccet assuetudine malefaciendi corruptus, uti ex eorum scriptis notavit B. Dominus Johannes Tobias Major, Academiae nostræ Doctor, olim celeberrimus Disput. de Jur. div. imput. pecc. Adam. toti generi humano. thes. 83. 84. Negari sane non potest formulas istas loquendi Scripturæ, *ab utero, ab incunabulis, à naturâ, à lacte matris*, Ps. 58. v. 4. Ps. 71. v. 6. Esaia 48. v. 8. &c. interdum commode de longâ & quasi radicata consuetudine exponi posse, cum primis illâ, quæ per assuetudinem paratur. Sic quando Job Cap. XXXI. v. 18. de misericordia loquens infit; *ab utero matris deduxi illam*; quis dubitaverit, congruum hunc sensum emergere posse; diuturna assuetudine & consuetudine
ado-



adolevit mecum commiseratio, ut cum lacte ipsam imbi-
bisse, imo in utero materno quasi acquisivisse videar. Et
hanc ipsam verborum explanationem necessario requiri,
inde forte inferre possint hæreticorum filii, quod ex nostrâ
ipsorum sententiâ in iniquitatibus conceptus, & in pecca-
tis à matre genitus sit Jobus, adeoque in isto statu ab incli-
natione etiam ad misericordiam, quæ virtus DEO gratis-
sima est, plane alienus. Sed non deerit nobis quod respon-
deamus, modo in quo peccatum Originis consistat, hîc
paucis delibemus. Cum hominem ad beatitudinem æter-
nam tanquam finem supernaturalem destinasset Deus, ad
hanc ipsam obtinendam contulit etiam *Intellectui, Voluntati,*
& *Appetitui sensitivo* dotes necessarias; In intellectu Adamâ
divina erat Sapiencia, & lux quædam spiritualis, DEUM
ejusque voluntatem cognoscendi, Coloss. III. v. 10. quanta
quidem ad beatitudinem æternam consequendam opus e-
rat. Recta quoque in voluntate aderat dispositio DEUM
super omnia diligendi, Eph. IV. v. 24. Ex parte denique
appetitus sensitivi perfectum aderat obsequium & omni-
moda affectuum cum intellectu & voluntate Harmonia.
Hæc summa facultatum animæ perfectio (*Justitia Originalis dicta*) per lapsum primorum parentum est amissa, in-
que ejus locum successit in intellectu *σκότος*, tenebræ,
Eph. IV. v. 18. c. V. v. 8. ut nec cognoscat, nec cognoscere
possit quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. II. v. 14. In voluntate
abalienatio à vita quæ ex Deo est, Eph. IV. v. 10. In appe-
titu sensitivo rebellio, ut jussa rationis nec expectet, nec
auscultet, Rom. VII. Uti autem Justitia Originalis efficie-
bat, ut integri & sancti essent hominum mores ad præstan-
da ea, quæ lex divina requirebat, ad obtinendam vitam æ-
ternam; ita quæ ipsi successerunt, impedimento sunt, quo
minus optato fine homo potiri possit. Cumque primævæ
legi & ordini à Deo instituto plane contrarientur, & ab or-

B

tu



tu homini adsint, recte peccati Originis nomine veniunt,
& in hoc peccato homo nasci dicitur, i. e. omnibus saluta-
ribus mediis ad obtinendam salutem æternam necessariis
destitutus. Connascitur quidem illi adhuc hodie potentia
quædam cognoscendi & diligendi DEUM, & appetitum
rectæ rationi quodammodo subjiciendi, quam divinæ ima-
ginis portiunculam cum B. Meisnero Philosoph. Sobr. part.
I. sect. 4. cap. 9. q. 1. p. 737. non incommode dixeris; Nec Deo
vel illa ipsa Potentia, vel inde deinceps prodeuntes actiones
displicere possunt, cum ex natura humana & recta ratio-
ne, cujus ille auctor est, propendeant: sed quoniam ex fide
non propullulant, in ordine ad salutem æternam *speciali*
complacentiâ divinâ non gaudent, secundum illud Apostoli,
Hebr. XI. v. 6. *Sine fide impossibile est placere DEO.* Po-
tentia autem ista, de qua diximus, stare cum peccato Ori-
ginis potest: neque enim illud tollit omnem etiam natu-
ralem Deum cognoscendi & amandi potentiam, sed vires
salutariter & in ordine ad vitam æternam id præstandi. Si
igitur dicamus, Jobum loc. cit. innuere, quod ejusmodi
potentiam tanquam semen misericordiæ, & stimulum ad
eam in ipso utero materno hauserit, adeoque deinceps
etiam à teneris ungviculis misericors fuerit, nemo jure di-
cam nobis scribet, & ita cadet Photinianorum assertum,
quod verba Jobi non nisi de longa consuetudine & inde
parta misericordia sint intelligenda, neque per illud verba
Davidis infringentur. Et licet demus illis, formulam Jobi
ab utero de longa consuetudine capiendam esse, effata item
Psalmistæ Ps. LVIII, v. 4. & Esaia cap. XLVIII. v. 8. quibus
dicuntur impii: *errasse & prævaricati esse ab utero*, & Joh. IX.
v. 34. ubi Pharisei dicunt ad cæcum natum, cui Christus
visum restituerat; *Tu totus in peccatis natus es*, extremam ma-
litiâ, & hominem insigniter impium, quamvis in pecca-
tis non natum, denotare; certi tamen sumus in loco Psal-
mi



mi LI. v. 7. supra explic. à nativo, genuino, ac communi
verborum sensu non esse recedendum, quia neque neces-
sitas nos urget, & alii Scripturæ loci, ilque clarissimi il-
lum plane comprobent.

VII. Progressum igitur faciamus ad Novum Testamen-
tum, in quo plurima fidei mysteria (*in quibus illud de Pecca-
to Originis jure merito recensendum*) paulo clarius quam in Ve-
teri proposita esse ex re & vero judicat B. D. Major, Disp.
l. c. th. 89. Cum primis igitur se offert nobis locus Rom. V.
v. 12. in quo clare docet Apostolus, (1) Adamum peccasse,
(2) in Adamo omnes homines, (3) propterea mortem tan-
quam poenam peccati omnibus hominibus infligi, etiam
illis qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis A-
dæ, i. e. qui nondum ipso actu Physico & deliberato consi-
lio (*sicuti Adamus*) peccarunt. Audiamus ipsum Apосто-
lum: *Per unum hominem peccatum introit in mundum & per pec-
catum mors; ac ita in omnes homines mors pervasit eoque in quo
omnes peccaverunt, &c.* In Adamo omnes peccasse, hæc evi-
dentissima Apostoli verba testantur; At quomodo factum
id sit, curiositas hominum non veretur scrutari, cum tutius
esset simplicibus verbis inhaerere, modumque DEO com-
mittere. Existimant nonnulli, propterea posteros Adami in
ipso peccasse dici, quia *jure merito Deus Adami peccatum poste-
ris imputare, eosque id propter punire possit.* Exemplum addu-
cunt liberorum, qui in Parentibus contra principem iniqui
quidpiam molientibus peccant, cum privilegia æque ac pa-
rentes amittant. Sed quod posteri nondum existentes reverà
in parentibus peccent, de eo sepositâ Scripturâ S. nihil no-
bis constat. Privilegiis quidem æque ac Parentes privantur,
sed fieri hoc non ob proprium, sed ob peccatum paren-
tum ipsis imputatum apud omnes in confesso est. *Dicis: Si
Princeps jure posteros ob peccata parentum privilegiis privat,
quid ni DEO in homines idem jus competat?* Sed
B 2 Resp.

Resp. maximum esse discrimen inter pœnam temporalem
& æternam. Pœnam temporalem luere posteros ob pec-
cata Parentum tam absurdum non est, cum rationes Poli-
ticæ satis graves id svadeant, & ipsa pœna tandem cesset.
At vero dicere, posteros, qui nec actu extiterunt, nec ipsi
peccarunt, ob solum imputatum Parentum peccatum æter-
nâ pœna jure affligi posse, dictu durum, & à misericordia
divina in Scriptura S. erga genus humanum toties luculen-
ter testata, plane alienum videtur. Tutius igitur est, si cum
S. Paulo dicamus peccatum Adamiticum posteris non tan-
tantum imputari, sed ipsos quoque in Adamo peccasse, &
justitiam Originalem amisisse, ut hac destituti in mundum
nascantur. Unde, si nobis objiciatur argumentum Juliani:
*Quod peccatum alienum est, illi non potest alter teneri obnoxius. At-
qui peccatum Adami fuit alienum, nempe posteris ejus; Ergo pecca-
to Adami posteris ejus non potuerunt teneri obnoxii: non respon-
debimus cum Augustino ad Majorem, sed negabimus Mi-
norem, cum Paulo intrepide asserentes, omnes homines in
Adamo peccasse, adeoque peccatum Adami etiam propri-
um esse posterorum ejus, non plane alienum; monente B.
Slevogtio, Disp. de Caula Moral. th. 31. Operæ pretium e-
rit, ut explicationem tanti Viri probe ponderemus, quæ, ut
verborum compendium fiat, huc redit: Non tantum Ada-
mum, sed posteros quoque in ipso peccasse, & legem Dei
de non comedendo arboris vetitæ fructu transgressos esse,
quanquam non eâdem ratione. Licet enim omnes prævari-
catione istâ verè peccarint, Adamum tamen physicè, h. e. a-
ctione reali, posteros autem ejus moraliter, h. e. per consen-
sum (qui dicitur *Interpretativus, Virtualis;*) peccasse. Nimi-
rum Deus, quum Adamum constituisset, ut esset caput &
Auctor totius generis humani, simul quoque in illius volun-
tate omnium posterorum voluntatem collocavit, ita ut ratione hu-
jus, voluntas Adami morali quadam ratione esset voluntas omni-*

annium ejus posterorum, & si quid ipse peccaret, simul in eo omnes posteri peccare censerentur. Cur autem ita constituerit, ut voluntas quæ erat physicè Adami voluntas, moraliter etiam esset posterorum ejus voluntas, & ut si Adamus peccaret, simul quoque posteri in eo peccasse censerentur, ejus alii aliam reddunt causam, præsertim inter Veteres Augustinus & Bernhardus, quos omnes suo sensu abundare patimur. Hoc certum est, illud fuisse factum si non manifesto nobis, justo tamen DEI judicio. Sane res admodum difficilis est, ideoque captivanda ratio sub obsequium Christi; Credimus Paulo, quod omnes in Adamo peccarint c. I. Rom. v. 12. quomodo autem nondum existentes peccare potuerint, in hac infirmitate nescimus, modum & rationem, qua factum id sit, sapientiæ divinæ committentes.

IIIX. Fundatur autem explicatio nostra (quæ Augustini quoque est, Ambrosii, Chrysostomi, & ex recentioribus Ben. Ariæ Montani & plurimorum) verborum Pauli ἐφ' ᾧ idem esse quod ἐν ᾧ in quo, sicut Vulgatus rectè vertit, non solum in nativa significatione Pronominis relativi ᾧ, sed maxime in ipsa textus συναφεία. Connectit enim Apostolus citato vers. hæc tria, (1) quod per Adamum peccatum introierit in mundum, (2) quod per Adami peccatum mors pertransierit in omnes, (3) quod in Adamo omnes peccarint. Ridet Jonas Slichtingius hanc analyfin: per hominem peccatum intravit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors transiit, in quo homine omnes peccaverunt. T. I. Comm. fol. 203. Sed mirum non est, ridere homines levis animi, etiam ubi pudere eos magis suæ incitiæ oportebat. Sane non est ineptus, sed accurati judicii discursus, quo docetur (1) peccatum, à quo genus humanum in primis parentibus ex vi status primævi alienum fuerat, unius hominis lapsu, originem habuisse inter homines: (2) Peccante primo homine donum immortalitatis, quod illi ut stipiti gen-



tis humanæ collatum & ad posteros propagandum fuerat, subtractum, atque ita ipsum pariter & ex eo nascituros omnes posteros necessitati moriendi subjectos fuisse. (3) ut tollatur dubitatio, quomodo fieri potuerit, ut mors per unius peccatum ad omnes homines traduceretur, additur ratio, hæc quidem, quod in illo primo homine peccante ipsi quoque omnes peccaverint. Ut nervus argumenti Paulini in clariori luce ponatur, sit hic syllogismus: Qui homines morti obnoxii sunt, illi peccarunt, Atqui omnes homines, etiam infantes, morti obnoxii sunt, E. Omnes homines etiam infantes peccarunt. Major probatur Pauli verbis v. 12. *Per peccatum mors*, & v. 23. cap. 6. Rom. *Stipendium peccati mors est*. Minorem experientia confirmat. Ergo vera est conclusio, quod omnes homines, etiam infantes peccarint; quam etiam melioris intelligentiæ causa, Paulus ipse sic informat, ut discamus, Infantes qui non peccarunt actualiter in se, aut *ad similitudinem transgressionis Adæ*, uti Pauli verba habent v. 14. peccasse tamen in alio.

IX. Huic nostræ explicationi ad adstruendum congenitum nobis peccatum apprime efficaci, valde infensi sunt Sociniani, eorumque sputum lingentes Arminiani, aliamque substituunt, quâ illud *ἐφ' ᾧ in quo*, redditur causaliter per *eo quod seu quia*, quatenus & quandoquidem, uti Erasmus eumque sequuti Calvinus, Petrus Martyr & alii quoque vertunt. Provocant ad ipsum nostrum Lutherum, qui verba Pauli, *in quo omnes peccarunt*, ita explicat: *Dioweit sie alle &c.* Sed modo rem ipsam cum Luthero probarent, interpretamentum suum, nobis haud invidentibus, retinere possent: quod vero hæresin suam verbis Theandri (*cui ne per somnium quidem, quod illi volunt, in mentem venit*) palliare non verentur, id demum est, quod merito execramur, & Diabolica præsumptionis esse dicimus. Sane B. Vir robor argumenti Paulini, quamvis retento sensu Causali &
Re-

Reduplicativo, agnovit, cum & hic æque ac *Subjectivus* & *Relativus* sententiam nostram optime confirmet. Si enim *ideo* aut *propterea quod* omnes peccarunt in omnes mors tranſiit, neceſſe eſt infantes etiam à partu recentiſſimos peccaſſe, cum in eos pariter mors tranſeat. Non peccarunt autem actu in perſona propria, Ergo in ſtirpe ſeu Parente primo. Porro peccarunt in Adamo omnes vel imitatione, vel ejus culpa participatione: Tertium non datur. At vero non imitatione, quæ in infantes non cadit. Ergo. Excipit Simon Episcopius Remonſtrantium ſive Arminianorum δεχνης Epistolâ ad M. Wilhelmum Wizendorffium, quæ extat inter Epist. Theol. præſtantium Virorum Anno 1660. Edit. p. 722. (1) Peccare & in alio peccare eſſe plane repugnantia: cujus aſſertionis rationem redditurus Stephanus Curcellæus Vindic. Armin. ita inſit: Nemo alieni peccati poteſt eſſe reus niſi qui vel in illud conſentit, vel hortatus eſt, vel adjuvit, vel aliquo modo alio pariceps fuit. Sed ut Embryo in quem nihil horum cadit, & qui in propria perſona peccare non poteſt, in alienâ peccet, omnem fidem ſuperat. Sed quod horum fidem ſuperat, iisque plane repugnans videtur, id S. Paulo certum eſt: cui ut homini Θεοπνεύτω & in tertio cœlo edocto magis quam nugatoribus iſtis, quorum mentem, cum ab amore veritatis divinæ malitiouſe recedant, Deus hujus ſæculi excœcavit, fidem habebimus. (2) Pergit Episcopius: Particulam omnes reſtringit ipſe Apoſtolus cum addit: ἐφ' ᾧ quatenus aut eò quod omnes peccarunt. Hoc ipſo non obſcure arguit, ſe per vocem omnes non intelligi velle omnes in univerſum homines, ſed eos tantum, qui peccatorum ſunt capaces, in quorum ordine non ſint infantes. Niſi hoc concedatur, in Antitheſi quoque hujus comparationis Apoſtolicæ univerſaliter etiam hanc vocem accipiendam eſſe hunc in modum: Sicuti per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervafit,
eò

eò quod vel quatenus omnes peccarunt: sic per unum hominem justitia intravit in mundum, & per justitiam vita atque ita in omnes homines vita pertransiit, eò quod vel quatenus omnes obediverunt. Hoc non dubito quin tibi absurdum sit. Ita ille. Verum ita argumentatur Episcopus, non Paulus; qui quidem verbis satis claris dicit, *Omnes in Adamo peccasse*, sed non pari modo dicit: *Omnes in Christo obedivisse*, & propterea justitiæ participes factos fuisse.

X. Instas, versu tamen 19. c. V. expresse comparationem instituit inter inobedientiam Adami ad posteros derivatam, & obedientiam Christi hominibus acquisitam. Argumentum pro Episcopio tale erit: Sicut per inobedientiam Adami posterij ejus constituuntur injusti, ita per obedientiam Christi constituuntur justij; Atqui per inobedientiam Adami posterij ejus ita constituuntur injusti, ut ipsi quoque in Adamo peccaverint, atque sic ipsis inhæreat injustitiæ habitus, nempe peccatum Originis. Ergo per Christi justitiam ita constituuntur justij, quatenus ipsi in Christo sunt justij, seu ipsis inhæret habitus justitiæ. Sed cavendum est, ne comparatio justo latius extendatur, Uti enim aliàs similia in nonnullis sunt dissimilia, nec extendenda ultra suam sphaeram, & scopum ac intentionem dicentis; sic etiam hîc non per omnia utrobique eadem est ratio. Ideo Paulus ipse addit correctionem, uti vocat Philip. Melancton Comm. in h. l. ut admoneat multa esse dissimilia in hac collatione, sic enim inquit vers. 15. *Sed non sicut delictum sic & donum, i. e. multa sunt dissimilia in hac collatione delicti & doni. Ut alia silentio prætereamus, plurimum interest in modo propagandi. Injusti constituimur ab Adamo per naturalem generationem, quia eramus in lumbis ejus, qualis tamen propagatio justitiæ per Christum partæ locum non habet. Notandum igitur quod Paulus cit. v. 19. conferat rem cum re, non modum cum modo simpliciter, sed saltem moraliter & merito-*

riorie consideratum, i. e. agit Paulus tantum de causa morali & meritoria justitiæ à Christo nobis partæ, comparatione instituta inter Adamum ejusque inobedientiam, hoc sensu: Quemadmodum Adamus inobedientia suâ toti generi humano seu omnibus posteris suis meritus est, ut ipsis inobedientia illa imputetur; sic Christus obedientia sua iis meritus est, ut pro justis habeantur & reputentur. Paucis: *Loquitur Paulus v. 19. de peccato Adamitico solum ut imputato, non connotando ejus inherentiam & propagationis modum. At v. 12. expressis verbis dicit, quod in Adamo omnes peccaverint. Utrumque igitur verum esse, nulli dubitamus, quod nimirum peccatum Adami non tantum reatu nostrum sit, sed quod etiam ipsi in Adamo peccaverimus. Porro: Quemadmodum Adamus peccato suo justitiam Originalem excussit, in cujus locum successit ejusdem privatio, ita & nos in Adamo peccantes eundem defectum contraximus, qui, cum nobis nascentibus adhæreat, peccatum Originis dicitur. Hoc saltem discriminis intercedere videtur, quod statim à lapsu peccatum Originis seu privatio justitiæ originalis actu secundo in Adamo deprehensa fuerit, sicut hodieque in his qui actu existunt, adest: tunc autem cum Adam peccaret & privaretur justitia originali; in posteris ejus nondum existentibus ipsum quoque actu non fuit, sed futurum fuit & connasciturum simul ac illi essent nascituri.*

XI. E superioribus igitur, quæ paulo prolixius deduximus, in proclivi judicare est, quid in recessu habeant verba Pauli Eph. II. v. 3. ubi dicimur *naturâ filii iræ*, h. e. ab ipso conceptu & origine nostrâ per conditionem naturæ corruptæ tales. Nemo enim est filius iræ, nisi per & propter peccatum, quod à Deo nos separat, Esa. LIX. v. 2. cum ille non sit *volens iniquitatem*, Psal. V. v. 6. *Et mors stipendium peccati est*, Rom. VI. v. 23. non tantum temporalis, sed cum primis æternæ, cum statim Apostolus subjiciat, *Gloria Dei vita æterna*.

C

na.

na. Locus hic est insignis adversus Pelagianos & quoscunque alios, qui peccatum Originis negant; nam quod *natura* inest omnibus, id certe est originale. Naturaliter vero nos omnes iræ divinæ & damnationi obnoxios Paulus docet, Ergo peccatum naturâ & ab origine nostra in nobis hæret. Pelagiani cavillabantur, peccatum ab Adamo in universum genus humanum propagatum esse, non origine sed imitatione, hinc vocabulum *φύσει* explicabant per *Omni-*
no, Verè, ne scilicet peccatum Originis concedere cogerentur. Sed Paulus nos cum peccato gigni testatur, quemadmodum serpentes suum venenum ex utero afferunt. Alii dum defectum Originalem verè peccatum esse, & propriè rationem culpæ habere negant, non minùs repugnant Pauli verbis: Nam ubi ira divina, ibi (ut ante diximus) certe peccatum esse oportet; quia Deus non innoxiiis hominibus, sed peccatoribus irascitur.

XII. Ex Baptismo quoque parvulorum peccatum Originis clarissime confirmatur. Nimirum Joh. III. v. 5. *Servator noster ingressum regni caelorum præcludit omnibus, qui ex aqua & Spiritu non regenerantur*, præmittens geminam ad confirmandum, quæ dicturus erat, jurandi vocem *Amen, Amen*, indubitatae veritatis & certissimi eventus indicem. Hinc colligimus, quod in omnibus hominibus, etiam in infantibus (quia *Christus indifferenter loquitur*) sit aliquid, quod ipsos ab aditu cœli prohibeat, nisi renascantur; Sed nihil cœlo excludit, nisi peccatum; Oportet igitur in infantibus quoque peccatum esse. Si quis excipiat: *Christum præcludere regnum caelorum iis, qui non sunt baptizati, non quod infantes in se habeant peccatum, sed quia negligitur baptismus. Neglectio igitur demum in peccatum cedit.* Resp. Neglectio in infantes non cadit; Ergo iis pro peccato reputari non potest, sed est Parentum culpa. Si autem non baptizati non possunt salvari, proprium iis aderit peccatum. Et hoc argumentum

eo



eò firmitus est, quia de omnibus omnino hominibus Christus loquitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare regnum caelorum.* Fatemur, si ad solos adultos verba sua restringeret Servator, dici posse, quod actuale peccatum, nempe contemptus Baptismi homines caelo excludat, quia mandatum divinum susque deque habent. Sed infantes peccati actualis, quale contemptus est, argui non possunt. Necessè igitur est, aliquid aliud in infantibus reperiri, quod ipsis introitum ad regnum caelorum præcludat. Indicat illud Servator, suæ assertioni causam & rationem §. 6. subjungens his verbis: *quod genitum est ex carne, caro est;* Id dicturus videlicet, quod natum sit ex carne depravatâ, & peccato inquinatâ, hoc ipsum etiam carnem esse ejusdem generis, & peccatis infectum. Et cum *caro & sanguis non possint consequi hereditatem regni Dei* 1. Cor. XV. v. 50. oportere omni homini, in regnum caelorum introire cupienti, medium consequendæ salutis Regenerationem Spiritualem, sive renascentiam ex aqua & Spiritu applicari. Quorsum igitur baptizentur infantes, ex dictis constat, nimirum *in peccati Origin. remissionem.* At quomodo remitteretur, si non inesset? fictam enim quandam in baptismo conferri remissionem, in concilio Milevitano sub anathemate damnatum est c. 2. his verbis: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, anathema sit.*

XIII. Idem sentiunt cum Milevitani Concilii Patribus ceteri Ecclesiæ Doctores ad unum omnes: quorum gravissima effata de Existentiâ Peccati Orig. Viri eruditi in scriptis suis omnium obtutui dudum exposuerunt. In præsenti instar omnium nobis sint Duum Viri omni laude ma-

jores S. Ambrosius Mediolani in Italia, & Augustinus Hip-
pone in Africa Episcopi. Ille lib. de Apologia David. hæc
habet: *Antequam nascimur, maculamur contagio, & ante usuram
lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur.*
Et rursus: *Merito David deploravit in se ipso inquinamenta na-
ture, quod prius inciperet in homine macula quam vita.* It. l. 1. de
Pœnit. c. 2. *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse or-
rus in vitio est, sicut habes lectum dicente David, Ecce in iniquita-
tibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* S. vero
Augustinus epist. 157. ita fatur: *Neminem nasci ex Adam, nisi
vinculo delicti & damnationis obstrictum neminemque inde libera-
ri, nisi renascendo per Christum, tam inconcusse tenere debemus, ut
sciamus eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem, & ad
eam, qua per Christum datur pusillis & magnis, Dei gratiam perti-
nere.* Illa fides sit salva, qua credimus nullum hominem sive ma-
joris sive parvula quamlibet & recentis ætatis liberari à contagio-
ne mortis antiquæ & obligatione peccati quod prima natiuitate con-
traxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum
Christum. Hic ipse Sanctissimus Vir è ritu Exorcismi du-
dum frequentati & infantibus baptizandis adhibiti ad con-
firmandam Ecclesiæ de peccato Orig. sententiam, argu-
mentum depromit. Lib. I. de nuptiis & concupiscentia c. 20.
*In veritate, inquit, non in falsitate potestas Diabolica exorcizatur
in parvulis, eique renunciant, qui per sua non possunt, per corda &
ora gestantium, ut eruti à potestate tenebrarum in regnum sui Do-
mini transferantur.* Quid ergo in eis est, per quod in Diaboli po-
testate teneantur, donec eruantur inde per sacramentum baptismatis
Christi, quid est nisi peccatum? *Nullum autem peccatum parvulæ
in sua vita commiserunt proprium. Remanet igitur Originale pec-
catum per quod sub Diaboli potestate captivi sunt. &c.* Plura ma-
gni Doctoris in hanc rem facientia testimonia è tractatibus
nostratum, quos pro Exorcismo publici juris fecerunt, pe-
ci possunt. Ex mente igitur Augustini S. Ecclesia, dum
in



infantibus exorcismos adhibet, hoc ipso agnoscit & profitetur, quod ob naturæ vitium & connatum peccatum obnoxii sint damnationi, & sub potestate satanæ. Et in hunc non alium finem pleræque Lutheranorum Ecclesiæ Exorcismum retinent.

XIV. Constans hæc & perpetua totius Ecclesiæ de Peccato Originis fuit traditio & fides, quam quinto demum à nato Servatore seculo pessundare nefando ausu Pelagius tentavit, de cuius origine, officio, peregrinatione, &c. Cl. Höttingerus Hist. Eccl. secul. V. p. 291. è Jacobi Usserii Antiquit. Eccles. Britann. notatu digna promit. Qui ipsa impietatis dogmata, quæ pessimus hæreticus pertinacissima animositate defendit, nosse cupit, adeat B. Augustini libr. de Hæresibus ad Quodvult Deum cap. 88. ubi sequentia leguntur: *Parvulos negant secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Sic enim eos sine ullo Peccati Originis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit, quod oporteat eis secunda natiuitate dimitti, sed eos propterea baptizari, ut, regeneratione adoptati, admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.* Quantum igitur ex S. Augustino colligimus, Pelagiani licet Orig. peccatum, inficiando fundamentum Baptismi, tollerent, tamen ipsum infantum Baptismum palam improbare non sunt ausi, expressis Christi verbis Joh. III. v. 5. *Nisi quis renatus &c.* convicti. Sed cum Catholici causam, quare baptizandi sint infantes, hanc redderent, ut nimirum iis remittatur peccatum; illi contra hanc plane negabant, soli Christi præcepto necessitatem baptismi alligantes. His igitur pejores, quoad hoc, videntur Sociniani, qui nullam, ne quidem præcepti necessitatem hodie agnoscunt, docentes, *Baptismum non esse ideo à Christo institutum, ut ordinarium atque perpetuum Sacramentum N. T. medium regenerationis ac renovationis esset, quod durare in Ecclesia ad fi-*
C 3
rens

nem usque mundi debeāt, sed ritum temporarium, & externam solum ceremoniam, qua in Ecclesia primordio homines de interna animorum ablutione commones fieri debuerint, ritumque istum jamdudum cum Apostolis exspirasse, uti Martinus Sommerus peculiari declamatione impie nugatur, teste Dn. D. Hildebrando Disp. de Rit. sac. th. 10.

XV. Hæresin suam falsis hypothesebus superstruere, an nisi sunt Pelagius ejusque sequaces Celestius & alii complures. (1) Asserebant hominem adhuc post lapsum talem nasci, cujusmodi ante eum Adam fuit. Hunc autem in solis naturalibus ad primum & secundum modum dicendi per se spectantibus conditum esse, quæ cum salvâ essentiâ seu naturâ humanâ amittere non poterit, eadem sine defectu ad posteris sui similes propagatione transmittat. (2) Adamum moriturum fuisse, etsi non peccasset, conditione naturæ. Et hæc ipsa quoque lege ejus posteris mortem hodieque incumbere. (3) Peccatum Adami ipsi soli nocuisse, non etiam ipsius posteris, nisi solo exemplo peccandi, i. e. quatenus hi Adamum in peccato imitantur, & hoc sensu Paulum docere Rom. V. v. 12. Quod per Adamum peccatum in mundum intravit. Hisce suppositis non poterat non sequi, nec peccatum Originis nec mortem aut alias miseras ex Protoparente homines contrahere, sed nasci in solis naturalibus seu essentialibus, sine virtute & vitio, & quod postea moriantur, aut aliis miseriis subiecti sint, id in infantibus ex conditione naturæ, seu causis naturalibus, non ex pœnâ peccati provenire, adultos autem Adamum imitando peccare, & reatum contrahere.

XVI. Pessimis hisce hæreticis fundamentum fidei concutere haud verentibus, animose obviam ivit SS. Ecclesia variis conciliis coactis, inter quæ familiam ducunt Milevitanum tempore S. Augustini, imperantibus Arcadio & Honorio, & Arausicanum secundum in Gallia, tempore Theodosii Junioris, Imperatoris Roman. & Leonis M. Episcopi Rom. habitum. Ultraque Synodus particularis quidem fuit, sed

sed cum universa Ecclesia sequentibus temporibus eas receperit, ideò earundem capitula cum œcumenicis Symbolis pari passu ambulare docet Magnif. & Summe Reverend. Dn. D. Hildebrandus, Ducatus Luneburg. Supremus Superintendens, Patronus noster æternum devenerandus Disp. de Ritibus sacr. Helmstadii habit. 1655. th. 16. Ubi insuper notat, octo illos canones, qui vulgo Synodo Milevitana tribuuntur, à nonnullis potius concilio Carthaginiensi adscribi. Primus eorum hic est; *Placuit, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita, ut si peccaret, si non peccaret, moreretur in corpore, h. e. de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Secundum, qui peccatum infantibus connasci asserit, supra th. XII. citatum vide. Arausicani autem Concilii capitulum alterum ita habet: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Rom. V. v. 12. Per unum hominem &c.* Hanc universæ Ecclesiæ sententiam publicis scriptis strenuè contra hostes veritatis propugnarunt SS. Patres, cum primis S. Hieronymus libris tribus tom. 2. Oper. & D. Augustinus, quo nemo ferè Patrum copiosius & præclarius contra hæreses decertavit, ut validissimus hæreticorum malleus S. Bernhardo Serm. 80. in Cantic. dici meruerit.

XVII. Hæresin hanc pestilentissimam superiori seculo de novo paxillo suspenderunt Sociniani, veræ de Peccato Originis doctrinæ adeo infensi, ut ne quidem nomen hujus peccati ferre possint. Audit enim illis peccatum Originis: *Commentum, humani ingenii figmentum, mera fabula, Imaginarium peccatum quod vulgus Christianorum sibi finxit, &c.* Rem ipsam vero ita explodit Socinus Miscell. p. 85. *Infantes nascuntur*

ferunt sine peccato, quatenus ipsi, sine dubio nondum quicquam peccarant: nec tamen sunt qualis Adamus fuit, cum à Deo est creatus, quatenus ipsi aeternae morti sunt obnoxii, id quod Adamus non erat, antequam peccaret: non quidem, quia illis Adami peccatum imputetur, sed quia ex Adamo, propter suum peccatum jam morti aeternae obnoxio facto, sunt propagati. Ex mente igitur Socini ejusque satellitum Natura hominis per primum Adami peccatum corrupta & vitiata non est, nec posterius in Adamo peccarunt, aut ex eo naturalem quandam corruptionem trahunt, sed poena peccati Adamitici sine reatu culpae in eos transit, i. e. non aliud malum ex primo illo delicto Adami quam moriendi omnimoda necessitas ad posterius manat, ob id ipsum tantum, quod ipsius sint Adami posterius, ab ipsoque prognati. Non negamus, inquit Smalcus Disp. 2 cont. Franz. p. 45. propter ipsam propagationem quam omnes habent ex Adamo, eos etiam esse morti aeternae obnoxios, etiamsi non peccarint. Si quæras: Unde igitur est illa homini congenita pravitas, cupiditas mala, pronitas ad peccandum, de qua Scriptura plus vice simplici restatur? Effectus enim testari de causa, & κακὸν αὐτὸν κακῆς καὶ οὐ κακῆς esse solet: Respondebunt Sociniani (1) quod concupiscentia ista, seu ad peccandum proclivitas in omnibus hominibus sit, naturaliter non constare. (2) Si vel maxime de eo constaret, pronitatem istam tamen non ex peccato illo primi parentis manasse, cum unus tantum actus fuerit, adeoque vim depravandi ipsam naturam Adami, multo minus posterorum ipsius, habere non potuerit. Inde autem esse quod homines (plerique, non omnes) frequentibus peccatorum actibus habitum peccandi contraxerint, & se ipsos corruerint, cujus corruptionis semina per propagationem in posterius transfundant.

XVIII. Socinianis proxime accedunt Remonstrantes in Belgio dicti aliàs Arminiani, à Jacobo Arminio, Professore Theologo Leidensi, quamvis Johannes Hoornbeck Summ. Controv. Re-



Relig. l. 7. fateatur, hodiernos Arminianos Jongius ab Ar-
minio, quam Arminium unquam à Reformatis discessisse.
Sicuti igitur hi æquè ac illi omnes fere fidei articulos infrin-
gere tentant, ita de Peccato Originis contra tot clarissima
Spiritus S. in Scripturis S. elogia frivole sentiunt. Audiamus
Simonem Episcopium, Leidenſis Academiae per aliquot annos
Professore, magnæ inter suos auctoritatis Virum, qui, uti
primus teste Hoornb. c. l. Remonstrantium sectæ dogmata
Sociniana adfricuit; sic ipse quoque haud veretur impie
nugari; *Scripturam S. peccati alicujus Orig. nunquam meminisse,*
nec ut meminerit rationem sinere. l. IV. Inst. Theol. sect. V. c. II.
In confessione quidem seu declaratione Remonstrantium
super præcipuis articulis Religion. Christ. Herdervvici 1622.
edit. c. 7. n. 4. p. 24. seq. legimus: *Quia Adamus stirps & ra-*
dix erat totius generis humani, ideo non seipsum tantum, sed omnes
etiam posteros suos (qui quasi in lumbis ipsius conclusi erant, & ex
ipso per naturalem generationem prodituri) eidem morti ac miseriæ
involvit & una secum implicuit, adeo, ut omnes homines, sine ullo
discrimine, excepto solo Dn. N. Jesu Christo, per hoc unicum Adami
peccatum privati sint primæva illa felicitate, & destituti vera ju-
stitia ad æternam salutem consequendam necessaria, adeoque morti
illi, quam diximus, & multiplici miseriæ etiam nunc obnoxii na-
ſcantur. Atque hoc vulgo peccatum Orig. dici solet. Sed profecto
in recessu non habent hæc verba id, quod in fronte pro-
mittere videntur. Ita enim in Apologia pro Confessione
contra censuram quatuor Professorum Leidenſium cap. 7.
sect. 4. mentem suam explicant; Peccatum Adami non sic
fuisse posteris ejus imputatum à Deo, quasi eos revera censuisset e-
jusdem cum Adamo peccati & culpa, quam Adamus commiserat, reos,
neque per privationem veræ justitiæ relictum esse in unoquoque fi-
lio Adami, ante proprium suum actum aliquod veri nominis pecca-
tum, neque aliquid eis esse odio Dei proprie sic dicto dignum, nec
illud, quod in eos ex Adamo peccatore dimanavit, in ipsis esse pec-
cati

D

cati poenam proprie dictam. Concludunt ergo, Se peccatum Originis nec pro peccato proprie dicto habere, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat; nec pro malo, quod per modum proprie dictae poenae ab Adamo in posteros dimanet: sed pro malo, infirmitate, vitio, aut quocunque tandem alio nomine vocetur, quod ab Adamo, iustitia Origin. privato, in posteros ejus propagatur. Si queras, quomodo Deus rigidius cum infantibus, quam ipsis Diabolis agere possit, cum illos propter Adami peccatum, Angelos vero ob propria delicta condemnet: audies eos regerentes, quaestionem in jus divinum, quod habet Deus in creaturas etiam innocentes, resolvi. Nimis prolixum hic foret cum adversariis in arenam descendere: omnino meretur videri Excell. Dn. D. Joh. Tob. Majoris Disp. supra citata, in qua argutiis nugivendulorum talos masculè fregit. Nobis, Scriptura S. id satis clare testante, certum est & indubitatum, Peccatum Adami etiam suo modò proprium esse posterorum ejus, non plane alienum, vid. supra th. 7. ut mirum non sit, illos ad poenam quoque obligatos esse, qui culpam participarunt; *anima enim quae peccavit ipsa morietur*, Deut. XXIV. v. 16. & *Si filius non debet portare iniquitatem Patris*, Ezech. XVIII. v. 20. nos non solius Adami, sed proprium portare peccatum recte dicimur.

XIX. Non praetereundi etiam sunt alii, qui circa doctrinam de Peccato Originis graviter errarunt. Seculo XII. seu circa annum Domini 1140. in Galliis fuisse legitur Magister *Petrus Abelardus*, vel ut alii eum vocant Abailardus, qui contra manifesta Scripturae testimonia, v. g. 1. Joh. III. v. 8. *In hoc apparuit filius DEI, ut destrueret opera Diaboli, contendit, Christi vitam, passionem & mortem, ad aliud nihil prodesse, quam ad exemplum virtutum, h. e. illum non assumpsisse carnem, ut à Diaboli jugo nos liberaret, item: non satisfacisse pro peccatis nostris, sed venisse tantum, ut traderet hominibus formam vitae vivendo & docendo, patiendo autem & moriendo chari-*
ta-

tatis metam præfigeret, sicut hoc ex Epist. 190. S. Bernardi, qui eo tempore floruit, constat. Ex hoc autem gravissimo errore, consequentiâ forte satis firma, alium colligit Bernardus; nimirum per sententiam Abailardi omnino sequi, Adamum nobis non nocuisse nisi exemplo, & infantes, qui institutionis & exemplorum capaces non sunt, neque in Adamo periisse, neque in Christo salvari.

XX. Superiori seculo originem suam debent *Anabaptistæ*, non quod ante ista tempora nemo in aliquo articulo eandem cum Anabaptistis tenuerit sententiam, sed quod nulla Ecclesia, nullus Doctor totum Anabaptisticæ doctrinæ systema approbarit, quod ipsi nunc habent. *Nec peccatum nec mortem ex Adamo trahi* contendunt, i. e. non tantum negant originale peccatum, sed etiam mortem & afflictiones hujus vitæ ita referunt ad causas naturales, ut nullo modo velint ex peccato primi hominis derivari, teste Bellarm. l. 4. de statu pecc. c. 2. ὁ πολυμαθέστατος Dn. D. Hildebrandus in Coll. MS. notavit, Anabaptistas peculiarem habere sententiam, & si quid hodie ejus definiant, sic sentire, quod *homo si spectetur sine Christo, cum peccato nascatur, sed quia mors Christi intervenerit, neminem amplius nasci cum peccato, per & propter meritum Christi.* Idem innuit B. Meisnerus Anthropol. Dec. 1. Disp. V. p. 118. Et ex hoc fundamento pædobaptismum non admittunt; Si enim infantes sine peccato, ut ipsi quidem supponunt, nascuntur, ablutione à peccatis per baptismum opus non habent; Conferri potest Colloquium Francothalense in Palatinatu, hab. Anno 1571. artic. 4. act. II. p. 198. 245. 248. Operæ fuerit pretium de Anabaptistis audire Doctissimi Philippi Melancthonis judicium tom. II. p. 160. Scio, inquit, plerosque Anabaptistas tollere peccatum Originis, & pariter polliceri salutem Judaicis, Turcicis, & non baptizatis infantibus, &c. *Hæc deliria non sunt toleranda. Et de his rebus doctrinam claram tradi oportet in Ecclesia. Et si velis recipere infirmos*

mos Anabaptistas, certe adversari huic doctrinae non debebant. Si adversantur, ipsi se sejungunt.

XXI. Post initium superioris seculi floruit Jacobus Faber, à Patria dictus Stapulensis, Sorbonicus Theologus, qui in Prothesi sive additamento catalogi Illustrium Virorum Tritheimii & in Biblioth. Gesneri vocatur sui seculi Philosophus celeberrimus, Belgicæ quin imò totius Galliaë unicum decus. Eum literis renascentibus facem prætulisse, ait Thuanus Hist. lib. 17. Varia cum de Philosophia, tum de rebus sacris passim edita scripsit, ut mirum sit illum contra unanimem priscaë Ecclesie sententiam novum & antè inauditum de peccato Originis commentum erudito orbi obtrudere voluisse. Ex ejus enim mente *Peccatum ab Adamo in posteris dimanans est obligatio moriendi, quâ qui in Christo regenerantur, solvuntur, ut jam non moriantur ex obligatione ab Adamo derivatâ, sed ex imitatione Christi.* Ipsa Fabri verba è Comm. in cap. V. Epist. ad Rom. apparent in Disput. de peccato Originis τοῦ πᾶνυ Calixti Senioris th. 55. Quibus adversus se censuras Parisiensium, & calamum Natalis Seddæ provocavit, defensus tamen, utpote qui aliquam ex literis natus esset celebritatem, Patrocinio Francisci Regis Galliaë tunc in Hispania captivi. Summa literarum, quas Rex commendatione potissimum suæ Sororis Margaritæ XII. Novembr. 1525. Madricii ad Senatum Parisiensem pro Fabro dedit, è lib. V. Comment. Sleidani peti potest.

XXII. Atro quoque carbone Hulderici Zwinglii, Ecclesie Tigurinaë in Helvetia Ministri, circa hunc articulum doctrina est notanda, cujus emblemata è lib. de Baptismo, it. Declarat. de Peccat. Orig. aliisque scriptis ab eruditis collecta, hæc sunt: (1) Peccatum Originis non esse proprie peccatum, sed peccatum meronymicè, h. e. defectum & morbum tantum. (2) Esse quidem conditionem miseram, sed mul-

multo leviozem, quam ut crimen dici mereatur. (3) Esse propensionem ad peccandum. (4) Non posse damnationem adferre, nisi erumpat in actionem legi divinæ contrariam. (5) Esse tantum in adultis. (6) Ex consequente, ne quidem infidelium liberos ob peccatum damnari posse, quia ex sententia Zvvinglii hi tantum damnantur, qui legem sibi positam vident & intelligunt. (7) Infantes quamdiu legis capaces non sunt, in statu innocentiaë esse, &c. Ipsissima Zvvinglii verba operosè producit Bellarminus tract. & cap. supr. cit. Et profecto, si illa prout jacent & sonant, capiantur, satis dilucide ostendunt, Peccatum Originis Zvvinglio non esse verè ac propriè peccatum, quod damnationis pœnam inferre possit; quicquid etiam ad excusandum suum Patriarcham in medium attulerint olim Rudolphus Gualtherus ejus gener, Henricus Bullingerus, Martinus Bucerus, aliique. Audiamus pro Zvvinglio, & in illius gratiam nuperius loquentem Gvilielmum Wihakerum Tract. de peccat. Orig. contra Stapletonum l. 1 cap. 9. quæst. 67. Durandum, inquit, in suo Pelagianismo relinquamus, de Zvvinglio non credam tibi, qui Zvvinglium non legisti, sed tale aliquid ei objectum à Dominico Soto, aut Lutherano aliquo videri. Sane reatum vocat & miseriam, & morbum, & servitutem; & rectè. Non nasci autem nos peccato coinquinatos, ubi scribit? Multa Ille de peccato Originis scripsit, ut occasio tulit; illa vero, quæ a multis trahuntur ad calumniam, satis commodè exponi possunt, si studium contentionis absit. Assertis suis satis audacter prolatis, fidem facturum Wihakerus, ingenuam, quam vocat, Zvvinglii confessionem, ex Epistola ad Urbanum Regium, à quo de hac ipsa re libere ac amice admonitus erat, producit his verbis: Hæc nostra est de Originis Peccato sententia, vitium esse ac morbum, qui ceu mulcta primis parentibus inflictus est; quorum propago sic vitiosa est transgressione, ut quicquid inde nascatur, ad peccandum propen-

pendeat; ac nisi divina clementia maturè de remedio efficaci provi-
disset, periissent quotquot ex hoc fonte nati fuerunt. Sed heus
Withakere! dum persuadere nobis conaris, hæc ipsa ad
Urbanum perscripta omnem à Zvvinglio culpam amoliri,
frustra es. Audi unum verbum: Si pronunciatum Zvving-
lii dicentis, *Peccatum Originis esse vitium ac morbum*; &
rursus libr. de Baptismo tract. 3. *Qui fieri potest, ut quod
morbus & contagio est, peccati nomen mereatur, vel pecca-
tum revera sit, cum tua explicatione conciliaveris, eris
mihi magnus Apollo. Magis forte succurrere clienti tuo
poteris ex illo, quod Marpurgi Anno superioris Seculi
XXIX. sub initium Octobris (occubuit autem post bienni-
um anno 1531.) una cum Joh. Oecolampadio, Martino Bu-
cero, & Caspate Hedione, inter articulos, de quibus inter
ipsum & Lutherum conveniebat, huic quoque qui quar-
tus est subscripsisse dicitur: Credimus quod peccatum Originis ab
Adamo in nos propagatum sit, quodque sit peccatum damnans omnes
homines, & quod, si Christus nobis opem non tulisset morte ac vitâ
suâ, in æternum propter illud mori nos oportuisset, neque participes
regni DEI & salutis fieri potuissemus. Vid. B. Luth. Tom. VI.
Altenb. f6l. 563. a. Si hoc modo ex animo errorem suum e-
mendavit, est quod ipsi ex animo etiam gratulemur.*

XXIII. Porro graviter errarunt seculo superiori *Alber-
tus Pighius & Ambrosius Catharinus*, qui peccatum Origi-
nis nihil aliud esse volunt, nisi primam illam Adami inobedi-
entiam actualem, qua sit in parvulis imputatione non reipsa; ex
qua assertione porrò hæc tria inferebant, (1) *Peccatum Ori-
ginis esse unum & idem in omnibus hominibus*; (2) *Hoc unum pec-
catum in homine primo fuisse reipsa, in ceteris per imputationem.*
(3) *Nihil esse in parvulis reapse inherens quod habeat veram
peccati rationem*; Eorum mentem proponit B. Mart. Chemnit.
Exam. Concil. Tridentini part. I. h. m. P. O. hoc esse quod A-
ctualis transgressio Adæ reatu tantum, & poena transmissa & pro-
pa-



pagata sit ad posteros, sine vitio aliquo & pravitate harentis in ipso-
rum substantiâ, & reatum hunc esse, quod propter Adæ pec-
catum extorres facti sumus regni cœlorum, subjecti regno
mortis, & æternæ damnationi obnoxii, & omnibus huma-
næ naturæ miseriis involuti: sicut ex servis, qui proprio vi-
tio libertatem amiserunt, nascuntur servi, non suo, sed pa-
rentum vitio. Et sicut filius scorti sustinet infamiam ma-
tris, sine proprio aliquo in se harente vitio; Neque ab hac
sententia Bellarminum procul abesse judicat B. Calixt. Comp.
Theol. L. de P. Quin ad perpetuam rei memoriam ex An-
dradio, secretorum Concilii Tridentini conscio toti orbi
Christiano c. l. revelat Chemnitius profanam Pighii senten-
tiam in Decreto Tridentino non esse vel improbatam vel
damnatam, sed relictam esse cum aliis profanis Scholasti-
corum de Peccat. Origin. disputationibus sub opinandi li-
bertate.

XXIV. Hisce omnibus, quos longa serie recensuimus,
aliisque, quia paria illis vel olim fecerunt, vel adhuc faci-
unt, opponimus Spiritus S. in Scripturâ S. testimonia, qui-
bus dicimur *immunditie immundi, caro de carne, naturâ filii iræ,
in iniquitatibus nati & in peccatis concepti, &c.* Quæ cum ipso
Sole meridiano sint clariora, nec alio, quàm superius tra-
ditum fuit, sensu Veteris Ecclesiæ Doctoribus intellecta, gra-
vissimam olim Deo reddituri sunt rationem, quod frivolis
suis glossis Spiritus Divini mentem eludere non dubitârint.
Ut tamen hæreseos & erroris sui portento aliquem colo-
rem concilient & futili causæ præsidium quarant *Pelagiani,*
quique hodie eos sequuntur *Anabaptistæ, Sociniani, Arminia-
ni, &c.* Rationem in subsidium vocant, quæ docet, *Pecca-
tum intrinsecè requirere liberam voluntatem, nec posse proprie ali-
quid dici peccatum, si non sit proprie voluntarium & liberum,* quam
Bellarmini quoque mentem esse, productis ipsius verbis,
monstrat B. Meisnerus part. 3. Phil. Sobr. sect. 1. c. 4. q. 2. Hac
fa

facta hypothefi, aliquid tantò plus vel minus habere de natura peccati, quantò plus vel minus habet voluntarii, fubsumunt erroneæ fententiæ Patroni: *Peccatum Originis in infantibus eſſe prorsus involuntarium*, quia carent omni voluntatis exercitio, fequi ergo hanc conclufionem; Ergo, *in infantibus nullum eſt peccatum*; S. Auguſtinus, quamvis & ipſe lib. de Verit. Rel. c. 14. aſſerat, *peccatum uſque adeo voluntarium eſſe malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*; aſſumptum tamen negat, & peccatum quoque Originis prout naturaliter propagatur, voluntarium eſſe perhibet, nempe, *non voluntate propriâ, ſed alienâ*. Nam lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 28. appellat iſtud voluntarium, *Voluntate primi Parentis*, in quo omnes peccarunt. Retractat. l. 1. cap. 15. *Parvuli*, inquit, *non proprietate voluntatis, ſed origine rei tenentur*. Omnis enim homo terrenus, *quid eſt Origine niſi Adam?* Gemella his apparent in l. 3. c. 5. contra Julianum. Auguſtinum ſequutus Bonaventura, à ſuis dictus Doctor Seraphicus, in 2. diſt. 1. q. 1. Peccatum Originis voluntarium eſſe ait, *non voluntate ejus in quo eſt, ſed à quo eſt*. Verum cenſet cum Chemnit. p. 1. Exam. Tridentini, Meisnerus Anthropolog. Dec. 1. Diſp. 3. q. 2. §. 7. hanc Auguſtini Reſponſionem Pelagianis datam, magis ſubtilem & argutam, quam veram & accuratam eſſe. Metuunt enim ne inde ſequatur, quod Originis Peccatum, quia non in nobis, ſed in Adamo tantum proprie eſt voluntarium, non etiam in nobis ſit, ſed in Adamo tantum fuerit peccatum proprie dictum.

XXV. Rectius igitur putant labem iſtam peccati nobis congenitam & inhaerentem involuntariam dici: & in eo conſentientem habent Apologiam Aug. Confefſ. negantem Peccatum Originis nobis (*nunc amplius ſc.*) eſſe voluntarium, & ad eſſe cujuſque peccati (*etiam Originalis*) voluntarium requiri, h. e. ac ſi de novo, ſi peccatum audiri velit, nunc noſter accedere deberet Conſenſus. *In civili quidem iudicio*
hæc



hæc ita sese habere asserit Apologeta, non autem in iudicio Dei; Certe non omni peccato, ne quidem actuali, voluntarium essentiale esse, testantur *Motus primo primi, i. e. Concupiscentiæ Motus subitanei, & omnes, qui exinde oriuntur & pro præsentis nature nostræ statu rationem & voluntatem nostram anteveriunt, a-ctus externi.* Hi licet involuntarii sint, peccata tamen sunt, uti è cap. VII. 19. Epist. ad Rom. satis clarè constat, de quo loco infra plur. De his ipsis tamen *motibus* porro notandum, etiamsi nunc nobis sint involuntarii, si proximam; esse tamen voluntarios, si remotam & ultimam causam respicias; licet sint invincibiles in se, esse tamen vincibiles in prima sua radice; quamvis nunc in nobis sit impotentia ad utrumque oppositorum æqualiter agendum, eam tamen sponte per lapsum Adami fuisse attractam. Pari modo cum peccato Originis comparatum est: illud licet non voluntate sed necessitate; prout ista corruptum nostrum statum jam subsequitur, contrahatur; non omnimodo tamen est involuntarium, sed voluntarium in sua radice, quia à mala voluntate primorum hominum exordium sumsit. Certe si hæc quoque S. Augustini mens fuit, non videmus quid in ipsius verbis desiderari possit; nec metuumdum inde sequi, Peccatum Originis in nobis non esse propriè, & verè peccatum, quam quoque sequelam Vir sanctissimus nec agnovit unquam, nec probavit.

XXVI. Si quæras; *quomodo quod nobis nunc est involuntarium, in Adamo nobis fuerit voluntarium? quod nobis nunc invincibile & impossibile, in Adamo nobis possibile fuerit & vincibile?* Sunt qui hanc responsionem suppeditant; liberam Adami voluntatem, qua ad peccandum abusus ipse est, interpretativè etiam nostram esse dicendam: vel (1) *quia uti omnes jam toti in eo ejusque lumbis potentiâ eramus, ita & nostrum omnium voluntas in ejus voluntate jam tum reposita fuerit dicenda, vid. s. th. 7.* Vel (2) *Quia Deus præviderit nos, si Adami loco & tempore tum actu*
E
fuis,

fuissemus, idem cum Adamo fuisse appetituros, nostraque voluntate ad malum, perinde ut Adam, abusuros, non per necessitatem aliquam, sed per liberam determinationem, quam tamen futuram per omniscientiam suam Deus præviderit. Alterutrum horum, vel etiam utrumque (quantum hic quidem rimari liceat) in causa esse, cur nunc omnes nascamur cum peccato.

XXVII. Sed ita nondum sublata videtur omnis difficultas. Ad posteriorem enim rationem, quod attinet, parim hypothesis ipsa incerta est, & fingi quidem, non autem æque probari potest, Deum prævidisse, quod omnes & singuli homines, quotquot unquam exituri essent, in eadem occasione peccandi constituti, itidem, prout Adamus peccavit, peccaturi fuerint; Unde enim hoc constaret? Lumen naturæ sane ne quidem ad τὸ ὄτι Peccati Originis, nedum ad has circumstantias rerum actu non contingentium, ascendit. Scriptura verò, etsi alias scientiæ Dei conditionatæ seu mediæ testimonia & exempla exhibeat, nusquam fundamentum præbet, ex quo scientiam illam divinam ad hoc determinatū objectum de lapsu singulorum hominum, absolute quidem non futuro, futuro tamen sub conditione, si illi in simili statu cum Adamo constituendi fuissent, referri posse ac debere concludatur. Quod si autem & ratio & Scriptura tacent, quomodo aliunde peti possit probatio istius hypotheseos, sane non apparet. Quod si dicatur, hanc ipsam esse rationem amplectendæ istius hypotheseos, quod aliàs justitia divina in imputando posteris peccato primi parentis, agnosci nequeat, sed potius labefactetur; ex adverso dici potest, non esse necesse, ut in ostendenda justitia actuum divinorum τὸ quomodo à nobis determinetur; Sed sufficere, si Deus, qui justus est immutabiliter, sese hoc modo agere testetur, & manifesta ac sole clarior repugnantia in ordine ad infinitam & immutabilem justitiam aut sanctitatem ejus non appareat: prout alias in disputationibus cum
An-

Antitrinitariis & Reformatis in assertionibus veracissimi ac
supremi Numinis acquiescimus, & quæ pertinent ad es-
sentiam & personas, item ad potentiam divinam, simplici
fide amplectimur; licet quomodo illa se habeant, aut ha-
bere possint, plane penetrare ac definire nequeamus. Con-
fer, quæ diximus thes. VII.

XXIIX. Recit difficultas illa, ut nonnulli ex illis, qui
hypothesin istam afferunt, expresse adjicerent: si hæc
cuiquam forte satisfacere non possint, ei opponendam esse
autoritatem Scripturæ S. disertis verbis testantis: *Omnes in
Adamo peccasse*, Rom. V. 12. in hoc testimonio divino omni-
no esse quiescendum, nec ulterius scrutandum, quomodo
hoc ipsum factum fuerit, aut fieri potuerit; Sufficere, quod
de re ipsa ex eventu & auctoritate Scripturæ nobis constet;
quamvis rationem & modum, quo in Adamo consenserint &
peccarint posterius, satis indagare non possumus. Quibus
haud obscure innuunt, sese rationes superiores, tanquam
probabiles, non ut apodicticas attulisse: quæ, licet Chri-
stianis omni ex parte satisfacere non possint; hoc tamen (*si
recte judicamus*) præstent, ut, si Ethnici absurditatis senten-
tiam nostram accusare velint, explicatio allata illam libera-
re queat. Obfirmamus hanc materiam verbis Anselmi de
Part. Virg. c. 26. prudenter monentis, *infantem, qui damnatur
pro peccato Originis, non damnari pro peccato Adæ, (tantum) sed
(etiam) pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non
damnaretur. Est quidem peccatum Originis malum pœnæ, qua-
tenus in pœnam primi ab homine contra legem divinam
commisisti peccati successit. Nimirum peccatum Originis
in formali sua ratione privatione justitiæ Originis notat, quam
primum igitur ob peccatum deperdita est Justitia Originis.
è vestigio hominem occupavit hujus privatio: hæc autem
sicut Adamo pœna peccati perpetrati fuit, ita eadem non
minus tenentur posterius, qui ipsi peccanti moraliter seu inter-*



pretative & virtualiter consenserunt, adeoque in ipso teste S. Apostolo, peccarunt. Non autem malum pœnæ solum est peccatum originis, sed etiam malum culpæ, seu peccatum nos culpans, maculans, offensos Deo faciens, reosque pœnæ & iræ divinæ constituens: *sumus enim omnes naturâ filii iræ*; Eph. 2. v. 3. Id quidem in proclivi erit ostendere. Si enim Justitia Originalis conformis fuit legi divinæ, & vi hujus in nobis esse & manere debuit, utique ejus privatio, (quæ Injustitia Orig. vel peccatum Orig. dicitur) quam per consensum & nostra culpâ in Adamo contraximus, est difformis legi, adeoque peccatum 1. Joh. 3. v. 4. quod reponimus iis, de quibus superius dictum fuit, qui peccatum Originis seu Justitiæ Orig. privationem, quæ lapsum Adami subsequuta est, non *culpæ*, sed solum pœnæ rationem in posteris ejus habere asserunt, quam sustineant, sine aliquo proprio vitio, propter alienam culpam. vid. supr. th. 22.

XXIX. Cum inter Nos & Pontificios, item Calvinianos circa hunc articulum etiam sint controversiæ, neque illas silentio involvemus. Pontificii asserunt (quod nos improbamus) *B. Mariam Virginem à peccato Origin. fuisse immunem i. e. cum peccato Origin. neque conceptam, neque natam*; quæ sententia totis mille annis Ecclesiæ fuit inaudita. Augustinus quidem libr. de Nat. & Grat. c. 35. de S. Maria Virgine dubitanter loqui videtur, dicens: *Exceptâ S. Virgine Mariâ de qua propter honorem Dei nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo questionem.* Sed agere ibi Virum Sanctum de peccatis actualibus, non Originali, notarunt B. Chemnit. Exam. Trid. part. 1. p. m. 190. & B. Calixtus tract. de pact. divin. th. 193. Ex his tamen S. Augustini verbis Petrus Lombardus arreptâ occasione incepit sine verbo Dei disputare, fieri potuisse, cum Maria ex Spiritu S. conciperet Christum, quod & ipsa simul tota ab omni peccato, etiam ab ipso fomite, s. peccato O. liberata & mundata fuerit. Sed qui Lombardum sequuti

quuti sunt, non contenti fuerunt illa opinione, sed longius progressi, coeperunt disputare: Mariam, cum primum in peccato concepta fuisset, postea in utero sanctificatam, sine peccato natam fuisse, quam sententiam S. Bernhardus & D. Thomas suam fecerunt, non quod Scriptura Canonica illam confirmet, sed quod rationabiliter ita credatur. Mansit hæc apud Scholasticos, usque ad Johann. Scotum Franciscanum, qui dixit, probabile esse, B. Virginem per omnipotentiam divinam nunquam habuisse peccatū Orig. Quæ posterior Scoti sententia (quam ut probabilem tantum defendit) sectatoribus ejus Franciscanis ita arris- si, ut eam tanquam simpliciter & absolute veram propugnarent, Dominicanis interim secundum doctrinam sui Thomæ constanter reluctantibus.

XXX. Cum acriter hæc lis inter Dominicanos & Franciscanos per aliquot secula agitata esset, Pontificibus Romanis neutram sententiam definire volentibus, tandem anno 1661. Alexander VII. pro Franciscanis sententiam tulit, ipsorum doctrinam (quæ & Jesuitarum est) de immaculatâ conceptione Mariæ sine omni contradictione credendam approbavit, & contra eam sub poenâ Excommunicationis disputare prohibuit. Ante hunc Alexandrum VII. frustra, uti jam diximus, decisio hujus controversiæ à sede Romana fuit expetita. Certè Hispaniæ Reges peculiari Legatione ad Pappas, Paulum V. & Gregorium XV. missâ, decisum, sed irrito conatu desiderabant. Probabilem tamen Franciscanorum sententiam judicabant Pontifices, decreto caventes, ne publicis scriptis aut etiam sermonibus privatis diceretur, B. virginem cum peccato conceptam esse, donec à sede Apostolica decisio fieret, quod prolixo satis tractatu describit Lucas Waddingus, quem in compendiū rededit B. D. Titius part. 2. contra Truchsessium tunc temporis è Lutherano in Papistam recenter transubstantiatum, th. 78. & c. Brevibus quoq; ejus facit mentionem B. Calixtus Disp. de visib. Eccles. Monarch. th. 55.



XXXI. Sed & Thomistarum & Scotistarum doctrina merito improbat. Cum enim Scriptura tantum Dei Filium à peccatoribus separatum esse docet, Ebr. VII. vers. 26. de ceteris vero in universum pronunciet, quod sine peccatores, & remissionem peccatorum à Deo indies petere opus habeant (vid. 1. Reg. cap. 8, 46. Eccles. 7. vers. 21. Matth. c. 6. v. 12.) nobis tantum non sumimus, ut B. Virginem excipiamus, eamque ab omni peccato actuali immunem fuisse dicamus, uti recte judicat B. Cellarius Disput. Inaug. de cultu B. Mariæ Virg. ap. Pontific. th. 40. Longe autem peior est Scotistarum error (1) enim contra Scripturam S. (qua ubi de Peccato Orig. loquitur, unum tantum hominem J. C. qui à Spiritu S. conceptus, peccatum non novit, excipit, Ebr. 7. v. 26. de reliquis vero hominibus omnibus qui ex commixtione Viri & foeminae nascuntur, sine exceptione, quod peccatores sint, pronunciat Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 5. v. 15. Eph. 2.) Mariam virginem à macula Originali omnimodo excludit; unde (2) universalitatem quoque meriti Christi evertit, ejusque dignitati derogat. Si enim Maria Virgo immaculatè & absque peccato O. fuit concepta, non opus habuit Redemptore. Solum enim peccatum & quicquid ex peccato sequitur, ira Dei, maledictio Legis, potestas Satanæ, est id, à quo redemit nos Christus. At expressè dicit Scriptura, quod Christus sit pro omnibus mortuus 2. Cor. 5. v. 15. Propitiatio pro totius mundi peccatis 1. Joh. 2. &c.

XXXII. Sed hanc Nostratum (quam Thomistæ quoque, s. Dominicani agnoscunt) consequentiã admittere nolunt Scoti sequaces. Nominatim præ ceteris hic compellendus venit Dionysius Verlensis, tunc temporis Hannoveranus, qui in Scripto quod dicitur Philanton s. Animadversio, contra Excellent. Conringium de Antonio Paduano anno 1676. ed. p. 109. docet, Mariam, etiamsi absque peccato Orig. sit concepta, nihilominus verissimè ac perfectissimè Christi sanguine esse redemptam.

Du-

Duplicem igitur dicit esse redemptionem, *Præservativam & Liberativam*. Per hanc quempiam jam captum & male vexatum ex hostium manibus liberari; per illam vero fieri, ne quis in eorum manus immanes incidat, miserè torquendus, quas evitare, nisi à potenti amico præservatus, nullatenus posset. Consequenter *Redemptionem præservativam* multò perfectiorem esse excellentioremque illa *liberativâ*. Unde exultabundus David dicit Pl. 86. v. 13. *Eruiisti animam ex inferno*, in quo tamen non fuit, sed esse debebat propter peccatum. Hinc porro sic infert: Si ejusmodi individuum humanæ naturæ non reperitur (cum tamen dari facile posset) in quo Christus primum & præcipuum illud redimendi genus non exercuit, non fuit Redemptor primo ac principali & perfectissimo modo. Sed cum id maxime derogat ejus dignitati, cujus perfecta sunt opera & apud quem copiosa est Redemptio Pl. 130. v. 7. necesse est aliquam personam sic esse redemptam, ne per peccatum Orig. infamis illius & infernalis Tyranni mancipium fieret; quæ non est alia quam Virgo Maria, quæ de sanguine suo Christi sanguinem redemptionis perfectissimæ præmium condignum progenuit, eundemque tanquam aliquid naturaliter suo filio dedit æterno patri offerendum; ac proinde negari non potest eundem preciosissimum sanguinem omnem in eâ, cujus quidem capax erat, virtutem suam exercuisse, & consequenter eam ab omnî labe præservasse, cum ad hoc efficiendum abunde fuerit potens. Hæc quidem satis audacter Capucinus effutit, cui jure merito occinimus illud Hieronymi Comm. in cap. 23. Matth. quod de scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. Et libr. adversus Helvidium: Ut hæc, quæ scripta sunt, non negamus, ita ea, quæ non sunt scripta, renuimus. Mariam à Peccato O. præservatam esse, Scriptura nescit: imò cum illa omnes homines carnaliter natos sub peccato concludat, uti evincunt loca Rom. V. v. 12. aliaque supra th. 29. citata, ipsa B. Virgo Maria non erit excludenda. Quod si igitur alia, præterquam quæ scripta sunt, loqui hic velint Papistæ, quid nobiscum



concertabunt, qui neque loqui neque audire sustinemus præter ea, quæ sunt scripta? Athanas. de incarnat. Christi. Si tamen de duplici illa à Dionysio Verlensi jactata redemptione, alterâ præservativâ, alterâ liberativâ, dicendum sit, quod res est; lanè (1) illud, quod præservativam redemptionem necessariam statuit, ut Christus esset Redemptor primo ac principali & perfectissimo modo; & tamen sufficere putat, si hac redemptione Christus unum individuum humanæ naturæ redemerit, ceteris omnibus solâ redemptione liberativâ redemptis; inscitiam auctoris manifestè arguit. Quod si enim in priore illa dignitas Redemptoris summa aut stat, aut cadit, quidni eadem facilitate, præter Mariam alia plura individua humanæ naturæ redempta fuisse fingit Dionysius, fortè Aviam Christi, aut Johannem Baptistam, aut Franciscum, aut Antonium suum, aut se ipsum? scilicet ut tanto magis in pluribus aut in se ipso summam Redemptoris dignitatem agnoscere & venerari possit. Deinde (2) vera illa redemptio, quâ Christus mediator nos omnes redemit, utique sano sensu non solùm liberativa, sed & præservativa est: Liberativa quidem quatenus à reatu in quem revera incidimus, atque adeo à vi & potestate satanæ, qui nos velut captivos tenuit, liberos reddidit; Præservativa vero, quatenus, ne hostis ille sævitiam suam nostro exitio in nobis exercere possit, sua redemptione ipse impedivit, & sic antequam periremus, nos præservavit: Potest enim esse redemptio præservativâ, quâ homines licet non præserventur à peccato, præservantur tamen à poenâ peccati, damnatione æternâ. Alias autem (3) redemptio illa Dionysiana quam Liberativæ redemptioni velut adæquatè opponit, atque peculiari nomine præservativam vocat, quid est, nisi figmentum otiosi cerebri? Et quomodo ad naturam Redemptionis veræ quadrat? Nempe redimere vi vocis & proprie loquendo est *rursus emere*, wieder zu sich kauffen/oder wieder an sich lösen; & sic respicit rem amissam



sam non quam semper servaveris, aut ab amissione præserva-
veris; unde si in respectu ad capturam, aut captivitatem lo-
quamur, redemptio est restauratio captivi, mediante emtio-
ne, in libertatem hætenus amissam; *Liberativam* itaque es-
se oportet. Servare autem aliquem in prima ac perpetua
libertate, aut præservare, ne in ullam unquam veniat capti-
vitatem, quis unquam dixit aut credidit, proprie loquen-
do idem esse ac redimere? Sed de his plus latis.

XXXIII. Notandus hîc quoque venit *Calvinianorum seu
Reformatorum error, qui infantes fidelium sanctos nasci, profitentur.*
Bifariam autem hæc sententia exponi & intelligi potest; (1)
ut sensus sit, *infantes piorum hominum sine ipso peccato Origin. nasci,*
adeoque ex sua nativitate, ex suo carnali ortu nullam in se maculam
originalem habere. Sed perniciosam hanc hæresin à se depre-
cantur Calviniani, & ipse Calvinus Instit. l. IV. c. 15. §. 10.
generatim dicit; *infantes ipsi suam secum damnationem è matris*
utero afferunt. (2) *Infantes piorum sanctos nasci, non quod sine ma-*
culâ, sine vitio peccati Orig. nascantur, sed quod nascantur sine reatu
peccati, propterea, quod ab ortu suo sint sanctificati, & à peccato Orig.
mundati. Quomodo etiam in utero materno sanctificati di-
cuntur *Simson / ein verlobter Gottes / Judic. XIII. v. 7. nec*
non Jeremias, c. i. v. 5. & Johannes Baptista Luc. i. v. 15. Hi
tres homines creduntur fuisse sancti ab utero materno, non
quod fuerint sine peccato Origin. sed sine reatu illius pec-
cati, uti etiam nos dicimus, infantes in Baptismo sanctos
fieri, non quod ipsum esse peccati intereat, sed ideo, quia
non sunt amplius sub reatu illius peccati. Sic bene spera-
mus de infantibus, qui ante moriuntur, quam baptizari pos-
sunt, eos nimirum extraordinarie à reatu peccati Orig. ab-
solvi. Licet autem, si modo posteriori sese explicant Calvinia-
ni, peccatum originis non omninò evertant, pugnat tamen
eorum sententia cum doctrina de Baptismo, & sic etiam cum
doctrina de Peccato originis, quatenus hoc peccatum in
F in-



infantibus ordinariè non tollitur, nisi per baptismum. Baptismus enim est ordinarium medium & instrumentum (*non nudum signum*) hujus sanctitatis, quo infantes, etiam fidelium, purgandi sunt à reatu peccati, adeoque ante Baptismum ordinariè sancti non fiunt. Hinc S. Augustinus 2. d. merit. peccat. c. 7. tractans quæstionem, *quomodo peccatum, quod parenti remissum est, filio, nisi renascatur, obsit?* respondet: *Quia renovati parentes non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter generant.*

XXXIV. Parum igitur juvare Calvinianos poterit, quod frustra in subsidium vocant, effatum S. Pauli I. Cor. VII. v. 14. *Maritus infidelis sanctificatus est in uxore, alioquin liberi vestri impuri essent, nunc autem sancti sunt.* Neque enim D. Apostolus ibi de *sanctitate Spirituali*, quæ reatum peccati tollit, verba facit, sed de *Politica*, civili sive *externâ*, quod probat è contextu B. Gravverus Præl. in Aug. Confess. supplement. ad art. 2. p. 342. Nimirum Paulus liberos è conjugio fidelis cum infideli vocat sanctos, quia sunt legitimi, seu è legitimo thoro nati, quibus bonâ & illæsâ conscientia frui possit pars fidelis. Eâdem acceptione omnes *cibi* qui à fidelibus licitè sumuntur, *sancti* dicuntur, I. Timoth. 4. v. 5. & *pars infidelis cohabitans fidei est sancta fidei* hoc ipso loco I. Cor. 7. v. 14. quatenus nimirum ex tali conjugio non polluitur fidelis coram Deo, sed illæsâ conscientia conjugii, licet infideli, cohabitare potest. Pari modo liberi ex altero saltem parente fidei prognati sancti Paulo dicuntur, non equidem intrinsecè, & in se ipsis, priusquam baptizati sunt, sed extrinsece & *αὐτῶν ἐτεροῦ*, respectu nempe partis fidelis, quæ eos in conjugio, licet impari, acquisivit, iisque sanctè gaudere potest. Huic explicationi ex *συναφεία* textus profluenti plurimi nostratium Theologorum subscribunt, quamvis nec aliæ desint ejusdem loci interpretationes, *Reformatis* tamen nullo modo faventes; Sic Ægidius Hunnius Loc. II. de Sacram. c. XI. ita



ita explicat: *Sancti vocantur liberi* (è conjugio fidelis cum infideli nati) quia censentur pro liberis in Ecclesia natis, quibus janua patet ad Baptismum, initiationis sacramentum. Contra non baptizatorum & merè infidelium liberi immundi dicuntur, speciali quâdam immunditie, quæ nulla est alia, quam quod deficit illis hæc promissio ad Ecclesiam sanctam spectans: *Ero Deus tuus & seminis tui post te Gen. XVII.* & proinde nec sacramentum initiationis ita eis est expositum, ut ad id æquali cum nostris infantibus sorte statim in infantia admitti queant, sed expectandum vis sit, donec verbo instituti suum in fide assensum declarent, & per Baptismum Ecclesie inseri petant. Sed hoc de infidelium infantibus B. Viri assertum non nisi cum grano salis accipiendum esse certò persuasi sumus: Quamdiu scil. à fide & fœdere Evangelico alieni, sive Judæi, sive Pagani, liberos suos sibi habent & servant, baptismi sacrum iis conferri minime debet. Est enim Baptismus medium & sigillum receptionis in fœdus Evangelicum, & propterea illos solos baptizare convenit, quos spes est in vera fide educatum iri. Maximè autem in iis Rebus publ. in quibus Judæi tolerantur, permitti iis debent *jura nature*, ad quæ Patria potestas pertinet: nec parentibus invitis ad Baptismum rapi possunt eorum liberi, cum non sint facienda mala, ut inde eveniant bona. Secus autem se res habet cum illis infantibus, qui potestate parentum, vel in id consentientium, vel alio quopiam casu ita exierunt, & in nostram redacti sunt, ut metus non sit, ipsos ad Parentes infideles unquam redituros. Hos enim Baptismo privare, idem esset, ac medium æternam salutem adeundi, quod conferre possumus, iis denegare, quod gravissimo Servatoris nostri effato Joh. 3. v. 3. & 5. congruum minime videtur. Et, si Deus omnes homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim. 2. v. 4. omnino nobis incumbet, ut tenellis istis infantibus, familiæ nostræ planè insertis, nec obicem gratiæ divinæ ponentibus, de salutis medio prospiciamus. Idem sentiebant in synodo



*Reformatorem Dordrechtanâ Anno 1618. habitâ, Theologi Angli, Hasiaci, Bremenses, it. Professores & Theologi ex Seelandia & Frisia; à contraria autem sententia stabant ceteri omnes Palatini, Helvetii, Gensuenses, Nassovici, Hollandi, statuentes, non obstante, quod legitimo modo sub potestatem Christianam pervenerint, gentilium infantes, ante annos tamen discretionis non esse baptizandos. Fundamenta, quibus utraque pars suam sententiam fulcire conabatur, vid. in Epistola 7. & 9. M. Johann. Hales, de act. Syn. Dordr. Sed hæc *ὡς ἐν παρρησίᾳ*. Alii Paulinis verbis hunc sensum faciunt, *Fidelium infantes sanctos dici, non quod sancti, & sine peccato nascantur, aut in ipsa nativitate remissionem peccati consequantur, sed quia à Parentibus sanctificantur, h. e. ad mysteria, quibus sanctificentur, adducuntur, & in fide sanctâque doctrina educantur, sicut infidelis quoque maritus per cohabitationem uxoris fidelis ibidem sanctificari i. e. ad sanctam fidem & vitam sepe pertrahi, dicitur.* Extat hæc explicatio in disp. inaug. Pauli Mülleri, t. t. Theolog. Profess. Helmst. Nec abludit ab eâ *Jesuita Tirinus*, Comm. in h. l. qui citat Augustinum l. 2. de Peccat. Merit. c. 26. & lib. 3. cap. 13. Item Hieronymum Epist. 153. ad Paulin. Notat *Johannes Ligthfootus* Hor. Hebr. & Thalmud. ad Matth. cap. 1. 18. è Thalmude & R. Maimonide, quòd *liberos, à Parentibus verae Religioni addictis progenitos vocient, prolem in sanctitate (in vera Religione) genitam.* Pari ratione dicere possumus, quod liberi Parentum fidelium, vel saltem ex altero parente fideli nati, sint in sanctitate, id est verâ religione nati.*

XXXV. Alter locus quem Calviniani pro sententia sua allegant, extat Rom. XI. v. 16. ubi Paulus dicit: *Si radix sancta, sancti etiam rami.* Resp. (1) *Tirinus* comment. in h. l. dicit: *Paulum non agere ibi de sanctitate propriè dicta, quâ quis sit justus in se, & amicus Deo, sed de Sanctitate tantum analogicâ, & metaphoricâ, quâ quis Deo consecratur, & quasi appropriatur.* Sic locus, vestis, pecunia &c. servitio divino dicata, dicuntur sancta. Et san-



sanctitas ista moralis quasi est, quod nimirum Judæi propter sanctas radices, Patriarchas scilicet, habeantur & æstimentur tales, qui sancti fieri possunt. Brevi, Judæi dicuntur sancti, quia sanctarum radicum, Patriarcharum scilicet, qui sancti Deoque charissimi erant, sunt germina, propagines & rami: qui licet ob incredulitatem à radice sunt avulsi, per fidem tamen, modo velint, nec renuant, vicissim ipsi inseri possunt. (2) B. Ag. Hunnius L. de Bapt. c. XI. & o managirus Grauerus part. 1. in Aug. Conf. p. m. 340. hunc locum explicant non promiscuè de omnibus Judæis, sed de quibusdam, qui sanctorum Patriarcharum in sanctitate fidei & morum erant æmuli. De his igitur dicit, quod sanctarum radicum sancti sint rami: Et sensus Apostoli hic est: quemadmodum hæ radices sanctæ erant, ita idem fiet de ramis, si modo radici suæ quoad spiritualem unionem conjunctæ fuerint. Nec obstat, quod Judæi nati sint, quia hoc etiam Patriarchis sanctis non obstitit; Recte igitur expendendus venit scopus Pauli in hoc cap. in quo conversorum ad Christianam fidem gentilium cogitationes, de reprobatione Judæorum conceptas, confutat. Nempe quarit in h. c. S. Apostolus: An Judæi, eò quod plerique reprobi sunt, ita sint rejecti, ut nulli eorum aditus ad gratiam amplius pateat, idque an ideo factum quia sine Judæi. Vel: An Deus rejecerit populum Judaicum, quatenus Judaicus est? Affirmativam tuebantur conversi gentiles. Sed Resp. Paulus negando; quia, si populum Judaicum, ut talis est, & à majoribus descendit, spectes, contra se res habeat. Judæis enim peculiariter facta erat promissio, modo starent conditionibus. Si igitur sancti Patriarchæ, quia Judæi erant non sunt rejecti, etiam Judæi communiter non sunt rejiculi facti, nec à salute exclusi, modo sanctarum radicum sancti sint rami, i. e. in sanctitate fidei & morum ipsos sequantur. Hi sunt, ut Petrus dicit, filii Prophetarum & Testamenti, quod testatus est Deus erga Patres nostros dicens ad Abrahamum: Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiae terræ, Act. c. 3. v. 25.

XXXVI. Sed de sanctitate, quam Calviniani infantibus fidelium tribuunt, audiamus sermocinantem *Doct. Joh. Simonem*, in Acad. Francof. Profesl. Theolog. syst. Theol. Disp. XI. sect. 2. th. 41. *Ex mente ipsius vera est illa Sanctitas, non autem Spirituális & interna.* Vera, quia contra veritatem non efficta est, quamvis sit foederalis tantum, & externa, propter foedus cum Parentibus initum, quo ipsi etiam æque ac infantes Israëlitarum in V. T. comprehenduntur. *Foederalis autem ista infantum sanctitas secundum Calvinum l. 4. inst. c. 16. num. 24. in eo consistit; quod hæreditario jure secundum promissionis formulam, quâ se non ipsorum tantum, sed & seminis eorum, Deum & Patrem fore pollicitus est, jam à matris utero in foedere illo contineantur, & Deus illos filiorum loco habeat.* Ut errori suo patrocinium quærant, & infantes in sanctitate illa foederali ab utero materno esse, probent, provocant ad verba Genel. XVII. quibus Deus O. M. Abrahamum affatur: *Et statuam pactum meum inter me & te, interque semen tuum post te.* Sed hanc foederis formulam non esse absolute, sed determinate, & certâ cum limitatione capiendam seqv. versus 9. 10. 11. satis clare innuunt. Nimirum semen Abrahæ non nisi sub conditione ad foedus divinum admittendum erat, si non negligeret medium, beneficio cujus in foedus recipi posset, quale erat in V. T. *Circumcisio*, quâ neglectâ, nemo olim divini foederis consors habebatur. In adultis præterea requirebatur fides, quâ spretâ, foedere divino excidebant. Nec aliter se res habet cum infantibus fidelium in N. T. Hos Deus in foedus suum recipit, sed non nisi mediante *Baptismo*, quod tanquam medium gratiæ divini & vitæ æternæ consequendæ necessarium plus vice simplici commendat Servator Joh. 3. Unde hoc ipsum etiam, tanquam conditionem aliquam præstandam, cum promissione divina simul inculcat S. Petrus Act. II. v. 38. 39. Loquimur autem de modo & medio salutis obtinendæ ordinario; quod si enim contingat, infantes
vel



vel in utero materno adhuc clausos, vel inde enitentes, vel momento post exitum nimium cito expirare, ita, ut nullâ humanâ, quamvis admodum sollicitâ curâ & industriâ, de Baptismo illis prospici potuerit, tunc omnino valebit ille in Ecclesia frequentatus Canon; *Non privatio, sed contemptus sacramenti damnat.* Neque enim manum Dei instrumento sic alligatam putemus, ut per se hominum salutem perficere nequeat. Qui firmissime asseveravit Matth. 18. v. 14. *nolle se ut pereat ullus ex parvulis*; quique teste Apostolo, *vult omnes homines servari*, 1. Tim. 2. v. 4. *neminem perire*, 2. Petr. 3. 9. defectum Baptismi infinita sua potentia & misericordia nullo negotio supplebit. Non possumus igitur rigidæ Augustini sententiæ subscribere, quâ infantibus infidelium ante susceptum baptismum decedentibus pœnam assignat, 1. de Nat. Grat. & 1. V. contra Julianum Pelagianum. Iudice B. Calixto Tractat. de bono perfectè summo p. 68. pœnam putat forte privativam, seu pœnam damni, carentiam nimirum visionis Dei beatificæ & exclusionem à coelesti gaudio, inde sic dictam, quod quamvis per se & quâ talis non dolorē sensibilem, damnum tamen afferat, damnatis longe maximū & irreparabile. Multò minus tolerandi sunt illi, qui tenellis piorum liberis inopinatâ morte baptismum antevertentibus pœnam quoque sensus i. e. infernalium flammaram cruciatum denunciant, libro de fide ad Petrum Diaconum c. 27. quem olim quidem S. Augustino, sed falsò tributum fuisse, cum verius Fulgentii sit, dudum notarunt eruditi. Vid. Censur. Patr. Roberti Coci Angli edit. Helmst. 1655. p. 341. Riveti Critici sacr. l. 4. c. 12. p. 419. Nec id negat ipse Bellarminus, de Scriptor. Eccl. p. m. 152. De infantibus infidelium quid fiat, solus Deus novit, nec nostrâ interest de extraneis judicare. 1. Cor. 5. v. 12. 13. Nonnulli assumunt duplicem hypothesein, alteram ab immensâ Dei misericordiâ; ab ejusdem omniscientiâ alteram; His suppositis dicunt; *si infantes adultiores facti, media salutis acceptaturi, & ad*
Ec.

*Ecclesie societatem sese aggregaturi fuissent, tum Deus utique illud præsci visset, nec vi misericordie sue illos perire permisisset. Posito igitur quod tales infantes perire permittat, utique prævidit, illos contrarium fuisse facturos. Et hoc ipsum dicunt divinæ quoque gratiæ tribuendum esse, quod prius diem suum obeant infantes, quam adultiores facti peccata cumulare, adeoque poenam inferni graviolem sibi attrahere possint. Alii de infantibus infidelium bene sperant, quod Ecclesia omnes homines in publicis precibus Deo commendat hæc formulâ: *Aller Menschen dich erbarme*: Quæ preces fructu suo non carent, nisi homo obicem ponat, quod infantes facere non possunt. Nos temere nihil dicemus, certi, nihil de iis decreturum esse Supremum Numen, quod justitiæ & benignitati ejus refragetur.*

XXXVII. Cum igitur ex superius dictis ad oculum quasi pateat, omnes homines non tantum in Adamo peccasse, sed adhuc hodie cum peccato (*quod propterea Originis peccatum dicitur*;) in mundum nasci, proximum erit, ut *quidditatem & naturam* ejus investigemus. Notant autem eruditi, veterem Ecclesiam magis spectasse effectum peccati Originis, iram divinam, & æternam damnationem, quam quid propriè secundum rationem suam formalem esset. Ita expressis verbis B. Leonhardus Hütterus L. de Peccat. Orig. c. 1. num. 2. *Ante tempora Augustini vix ulla in Patrum scriptis occurrit plana ac perfecta peccati hujus definitio: quin ne curam aliquam hujus rei suscepisse videtur simplicior illa, & adhuc rudior primitiva Ecclesie infantia, contenta potius duabus istis questionibus: An sit tale peccatum, & quinam ejus effectus?* &c. His plane consona habet B. Chemnitius Loc. VII. de peccat. c. 2. p. 554. & B. Calixtus tract. de colloq. Polon. Thorun. 1645. hab. th. 30. 31. qui videri omnino merentur. Ex mente igitur Ecclesiæ è vulgo fidelibus de peccato Originis sufficiebat nosse, singulos homines ab Adamo naturaliter ortos cum labe & macula

la



la (quæ peccatum est & dicitur) nasci, ob quam iræ divinæ & æternæ damnationi reddantur obnoxii, unde non nisi per divinam misericordiam & Christi meritum eripi possint. Audiamus hac de re S. Augustinum Epist. 117. Neminem, inquit, nasci ex Adam nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum, neminemque inde liberari, nisi renascendo per Christum, tam inconcussè tenere debemus, ut sciamus eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem, & ad eam, quæ per Christum datur, pusillis & magnis Dei gratiam pertinere. In hac simplicitate mansit Ecclesia, usque dum temporibus S. Augustini occasione Controversiæ Pelagianæ coeptum est inquiri, in quonam propriè peccatum Originis seu peccatum ab Adamo contractum consistat? Itum est ab aliis in diversas tum sententias, tum loquendi formulas, momentibus Chemnitio l. c. & Calixt. in præf. super tract. de commun. sub unâ. Ipse profectò Augustinus, cui pro acerrimâ veræ de peccato Originis doctrinæ contra Pelagianos defensione, Ecclesia plurimum debet, certam & liquidam ejus definitionem nullibi reliquit: In concupiscentia tamen frequentissimè peccati Originis rationem collocat, forte quod hæc, hujusque illegitimi motus imprimis noti & manifesti; de quo infra.

XXXIIX. Post Augustinum de determinanda peccati Orig. quidditate parum solliciti fuerunt Ecclesiæ Dd. Undecimo demum Seculo Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia rem magis Scholasticè tractavit, quam ante eum quisquam alius, dicendo: Peccatum Origin. esse justitiæ debitæ nuditatem, s. carentiam. Agnoscit nihilominus Anselmus, se circa difficilem & scholasticam quæstionem occupari, suamque sententiam nemini obtrudit, aliam, si verior fuerit, libenter acceptaturus. Sequuti Scholastici, variis opinionibus rem inter se disceptarunt, de quibus observat Apolog. Aug. Confess. p. m. 52. quod peccatum Orig. extenuarint, non satis intelligentes definitionem, quam à Patribus ac-

G

cepe



ceperant; approbat autem *Apologia* veterem Anselmi definitionem, modo rectè intelligatur. Dicitur in illa Peccatum O. Justitiæ debitæ nuditas, seu quod idem est, Justitiæ Origin. privatio. Hic autem notandum, hanc inter habitum ejusque privationem perpetuam habitudinem esse, quod privatio, quo majus bonum à re tollit, eò majus & pejus sit malum. Cum igitur per peccatum Orig. sublata sit justitia Originalis, summum illud, quod homini in hac quidem vita à Deo concessum fuerat donum, in promptu erit judicare, quantum malum sit Originale peccatum. Et cum *contraria juxta se posita magis elucescant*, prius in quo justitia Origin. constiterit, dispiciendum, quàm in quidditatem peccati Originalis ulterius inquiremus.

XXXIX. Peccatum in genere consideratum esse ἀνομίαν seu perfectionis secundum legem inesse debitæ carentiam, supra th. I. dictum. In hac ergo communi ratione peccatum Origin. cum quovis alio peccato convenit; Specialis vero & propria illius ratio consistit in carentia justitiæ Originalis inesse debitæ. Justitia autem Origin. summa erat perfectio, omnes facultates hominis, quatenus homo est, proprias, *Intellectum, & Voluntatem, imò & appetitum sensitivum* occupans, & hominem consequendo fini supernaturali idoneum reddens. Justitiam vocat ipse Paulus Eph. 4. v. 24. affirmans, *hominem secundum Deum in Justitia & sanctitate conditum* esse. Originalis dicitur, quia ab ipso ortu & origine primo homini adfuit. Nomine quoq; *universalis justitiæ* venit, ob rationem ante dictam, quod universas animæ potentias exornârit. Intellectus divina quadam sapientia & luce spirituali Deum ejusq; voluntatem perfectè cognoscendi, instructus erat, atque omnia quæ cognitu necessaria erant ad consequendam æternam beatitudinem, (finem illum supernaturalem, ad quem homo à Deo conditus erat) accuratè habebat perspecta. Voluntas Deum super omnia amabat, & in nullum bonum caducum inordinate



dinate ferebatur Appetitus quoque sensitivus imperio rationis sese nunquam subducebat, aut refragabatur. Has perfectiones junctim sumtas justitiam Orig. (quæ est imago divina) κατ' ἐξοχήν sic dicta constituisse, colligimus ex Pauli Epist. ad Coloss. 3. v. 10. jubentis, ut induamur novo illo homine qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipsum condidit; & Eph. 4. v. 23. 24. volentis ut induamus novum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad justitiam & sanctitatem veram. Quæ loca tale nobis suppeditant argumentum: In quibus consistit imago Dei, ad quam renovari à Paulo jubemur, in eis consistit imago Dei ad quam primus homo fuit conditus; Atqui imago Dei consistens in agnitione Dei, in Justitia item & sanctitate; est imago Dei ad quam à Paulo jubemur renovari, Ergo, Imago Dei consistens in agnitione Dei, justitia & sanctitate, est imago, ad quam primus homo fuit conditus. Et major & minor in citatis Pauli verbis fundantur; Loquimur autem de imagine ipsa, non de ejus gradibus, quemadmodum distingvimus inter eruditionem ipsam, & ejus gradus: inter albedinem ejusque gradus. Eadem quidem est imago Dei, ad quam in hac vita renovamur, quæ fuit olim in protoparentibus, sed quoad gradus longe inferior, in altera demum vita perfecta restituenda.

XL. Dicitur: In Pauli tamen verbis nihil exstat de perfectione appetitus sensitivi: agnitio enim Dei in intellectu, justitia & sanctitas in voluntate resident. Sed illam sub vocibus justitiæ & sanctitatis quoque comprehendere, nulli dubitamus. Etenim Deus in statu innocentiae ab homine stipulatus erat perfectam obedientiam, & cum lege conformitatem: Summa autem Legis hæc est Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; Vi hujus obligationis, quicquid dilectioni Dei adversatur, plane est vitandum. Nihil autem magis voluntatem, quum ab ea justos, bonos & dilectioni Dei consentaneos actus præstari oportet, impedit & remoratur,

G 2

quam

quam cum appetitus sensitivus sibi relictus in objectum pertinace impetu fertur, atque ita iudicium rationis saepe praevenit, & anteverit, saepe illi adversatur, & repugnat. Ejusmodi autem appetitus sensitivi motus inordinatos in statu integritatis locum non habuisse, Paulus Rom. c. VII. 15. 19. 23. 24. haud obscure testatur.

XLI. Peccatum igitur Orig. cum iustitiae primitus con-creatae (in cujus locum successit) opponatur, vi oppositionis totalem ejus privationem complectitur, & in iisdem potentiis, quibus orig. Iustitia erat insita, intellectu sc. voluntate & appetitu sensitivo, quaerenda. Uti igitur in intellectu ante lapsum excellens, quin ad salutem aeternam necessaria & sufficiens erat Dei rerumque Divinarum cognitio; Ita in hujus locum successit crassa harum ignorantia, cum pronitate ad falsa & erronea iudicia. *Animalis enim homo* (i. e. qui Spiritum S. non habet, uti explicat Judas Ep. v. 9.) *non est capax eorum, quae sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Ex nobis ipsis non sumus idonei ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, eodem sensu dicit Apost. 2. Cor. 3. v. 5. Hinc sacrae literae hominem quoad intellectum vocant* *oculi, tenebras,* Eph. 5. v. 8. *obtenebratum mentem* cap. 4. v. 18. Sicuti in voluntate summa erat iustitia, & sanctitas, summa Dei dilectio ex toto corde & anima; ita post lapsum à Deo est aversa, abalienata à vita Dei Eph. 4. v. 18. *Nec bonum velle aut perficere potest,* Phil. 2. v. 13. Uti in appetitu sensitivo perfectum aderat obsequium, & omnimoda affectuum cum intellectu & voluntate harmonia, ita à lapsu, amissa iustitia Orig. rebellis factus, iussa rectae rationis nec expectat nec aulcultat, & fertur quasi equis auriga, neque audit curus habenas. Audiamus S. Apostolum de hac miseria graviter querentem, Rom. 7. v. 23. 24. *Video aliam legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meae, & captivum reddentem me legi peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo*



homo, quis me eripiet ex illo corpore mortis? Sane quod miseriam homini conciliat, eumque peccato facit obnoxium, illud à felicissimo innocentiae statu plane exulabat.

XLII. Hanc ipsam autem Justitiæ Orig. privationem, quamprimum habitui suo successit peccatum in Adamo statim fuisse, quis dubitaverit? Adversabatur enim legi & ordinationi divinæ, ita ut pugna illa in culpam recte Adamo imputari possit. Is ipse enim teste Paulo Col. 3. Eph. 4. conditus fuit in agnitione Dei, justitia & sanctitate, quæ dona Deus illi non concesserat ut amitteret, sed ut semper retineret; Absentia igitur harum perfectionum intellectui, voluntati, & appetitui sensitivo inesse debitarum est *ἀνομία*, i. e. pugnat cum lege & ordinatione divina, adeoque est peccatum; Nec tantum in Adamo, sed in posteris quoque ejus, infantibus æque ac adultis, privatio illa justitiæ Originalis est peccatum. Neque enim aliud in infantibus concipere possumus quod sit peccatum (cujus tamen reos agit Apostolus omnes homines, adeoque etiam infantes, qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ Rom. V. v. 12. 14.) & ob quod naturâ sunt filii iræ, Eph. 2. 3. Deoque exosi, quam absentia illa perfectionum, quas intellectui, voluntati, & appetitui sensitivo adesse oportebat, si Deo placere velient, & hinc necessario fluens pronitas earundem facultatum ad mala. Naturam enim infantum, quam ipsemet condidit, ut talem, odisse non potest; Sin ob peccatum Adami eos odisset, non ob propriam, sed alienam culpam essent culpabiles: At in Adamo omnes homines, etiam infantes peccarunt. Rom. V. v. 12. 14. Ergò non tantum Adamus peccans justitiam Originalem sibi amisit, sed in Adamo omnes quoque posterij ejus; Veritas nostræ assertionis, ex sequenti argumento liquido apparebit. Quicquid pugnat cum lege & ordinatione divina, ita, ut pugna illa in culpam recte infantibus imputetur, illud est

G 3

pecca-

peccatum; Atqui absentia virium Spiritualium Deum salutariter cognoscendi, & amandi, & appetitum sub rectam rationem compescendi, & opposita pronitas ad prava, pugnat cum lege & ordinatione divina, ita, ut infantibus rectè quoque in culpam imputetur. Ergo illa absentia & conjuncta pronitas est peccatum; Major superius probata ex 1. Joh. 3. v. 4. ubi dicitur peccatum ἀνομία. Nec minor negari poterit: scilicet absentiam virium dictarum, itemque inclinationem ad prava, pugnare cum lege & ordinatione divinâ. Sane non potest non Deo displicere, atque adeo peccati rationem habere, quod cum ex ordine & constitutione divinâ adesse deberent bonæ vires, tamen non adsunt; & quod pronæ sunt facultates ad ea potius quæ prava sunt, quàm ad bona. Utrumque igitur est peccatum in quo nascimur, & ob quod filii iræ natura sumus Eph. 2. v. 3. Caro de carne, adeoque regni cœlorum incapaces Joh. 3. 5.

XLIII. *Dicæ forte quispiam: Non apparet, quomodo infantibus vitio verti possit impotentia Deum salutariter cognoscendi in intellectu, Deum diligendi in voluntate, appetitum sub rectam rationem coercendi; cum nondum sint capaces scientiæ aliorum habituum & actuum. Argumentum tale erit; In quibus nondum locum habet scientia de Deo, ejusque de nobis salvandis voluntate, modo & mediis, inclinatio rectæ voluntatis in Deum, harmonia appetitus cum recta ratione, illis nec eorum opposita, nempe ignorantia, aversio à Deo, rebellio appetitus contra rectam rationem tribui possunt. Atqui in infantibus nondum locum habet scientia &c. E. Majoris veritas inde constat, quia privationes non habent locum nisi in subjectis quæ sunt capacia oppositorum ipsis habituum; Sicut cœcitas, quæ est privatio visus, non dicitur nisi de subjecto potentia visivæ capaci. Minor inde videtur manifesta, quia in infantibus nondum est usus rationis, quem ignorantia*
intelle-



intellectus, aversio voluntatis, rebellio appetitus omnino requirunt. Sed Resp. ad Minorem (1.) usum rationis esse quidem de essentia omnis peccati moralis, seu civilis, de quo philosophus tractat; In foro autem divino (uti etiam monuimus supra th. 24.) peccatum esse, quidquid legi & ordinationi divinæ repugnat, s. id sit cum usu rationis conjunctum, seu minus. (2.) ad probationem consequentiæ Majoris quod attinet, concedimus privationes locum non habere nisi in subjectis oppositorum habituum capacibus: ostendi tamen potest, quomodo absentia virium Spirituum in infantibus sit privatio perfectionis adesse debita, adeoque peccatum.

XLIV. Nimirum imago Dei s. justitia Originalis primis parentibus sic erat collata, ut mediante generatione naturali simul cum natura aut essentia propagari deberet, adeoque sicut infantes ante rationis usum naturam aut essentiam humanam habent, à generantibus acceptam; Sic ipsam quoque justitiam originalem simul cum natura habere debebant, etiam ante rationis usum. Ideò verò & carentia justitiæ originalis cum opposita huic pronitate ad mala, etiam ante usum rationis peccatum est. Nec est, quòd quis objiciat, Justitiam originalem non fuisse habitum otiosum, sed cum actibus homogeneis conjunctum; adeoque & absentiam ejus in subjecto ad exercendos tales actus incapaci, non habere rationem peccati. Nam facilè respondetur, 1. Justitiam originalem, etsi importet potentiam aut vires efficiendi actus secundos legi conformes, non tamen formaliter & in casu recto denotare ipsos illos actus, sed vires agendi (2.) licet vires illæ ad actus secundos sese non exerant nisi intercedente usu rationis, non tamen easdem tunc demùm homini conferri, cum usus rationis incipit; ac propterea (3.) neque ex suspensione actuum secundorum, propter defectum usus rationis, justitiam ipsam
origina-

originalem pro habitu otioso esse habendam. Unde tandem (4.) etiam Carentia iustitiæ originalis, licet & ipsa non sit sterile & otiosum malum sed vegetum atque efficax, quippe cum pronitate facultatum humanarum ad prava conjunctum, & exerens se, quando occasio agendi adest; non negari debet esse peccatum, etiam antequam sese exerat. Scholastici dicere solent, in adultis esse *concupiscentiam*, in infantibus *concupiscibilitatem*, per quam olim, usus rationis compotes facti, malum sint appetituri. Infantibus igitur propriè & accurate loquendo pro peccato reputatur, quod nulla potentia ipsis insit per quam, cum adoleverint, & ad annos quos discretionis vocamus, pervenerint, actu possit salutariter cognoscere Deum Intellectus; Voluntas amore ex toto corde in Deum tanquam summum bonum ferri; denique Appetitus sensitivus contra rationem insurgat. Eodem sensu intelligendæ veniunt phrasæ, quibus August. Confess. artic. 2. Peccatum Originis ita exprimit; *Quod nascamur sine metu Dei, sine fiducia erga Deum.* Hæc confessionis verba Pontificii statim improbarunt, rati, phrasibus istis notari potius culpam actualem adulti, quam noxam infantis recens nati, qui usu rationis nondum polleat. Unde porro elicere conabantur, Nostrates peccatum Orig. omnino tollere. Sed Confessores in Apologia suâ, quam pro Confessione August. contra Pontificios scripserunt, non tantum candide professi sunt, se definitionem istam simplici animo ac citra sophisticationem recitasse, sed indicarunt insuper, ista descriptione, non solum actus timoris, & fiduciæ erga Deum, sed ipsam potentiam efficiendorum illorum actuum, seu dona & vim efficiendi timorem & fiduciam erga Deum, hominibus secundum carnalem naturam propagatis, adimi. Paucis sed clarissimis verbis res expediri potest. Per phrasin August. Confess. non tantum negatio actuum, timoris, amoris, & fiduciæ erga Deum,



Deum, (quæ in adultis cernitur) sed cum primis etiam negatio virium timendi, amandi Deum, ipsique super omnia confidendi (quæ infantibus quoque adhæret;) intelligitur. Superius igitur dicta huic includemus argumento: Quodcunque in causa est, ut inhabiles & impotentes reddamur infantes, ita, ut ne quidem si adoleverint, possint Deum salutariter cognoscere, super omnia ex toto corde, proximum item sicut se ipsos diligere, illud est peccatum; Atqui negatio virium istarum spiritualium, quarum plus vice simplici mentionem fecimus, in causa est, ut inhabiles & impotentes reddantur infantes, E. &c.

XLV. Quamobrem autem hæc absentia virium spiritualium peccatum originis, & cum alio quoque appposito peccatum originis originatum dicatur, supra th. IV. tribus quasi verbis monuimus. Nempe originale peccatum dupliciter accipi potest. (1) Pro peccato primorum parentum, quod actus transiens fuit, quo illi legem de non comedendo arboris vetitæ fructu, à Deo sibi latam transgressi sunt, idque præter externum comedendi actum complectebatur etiam in Mente pravam de veritate verbi divini dubitationem, in Volunte superbiam, quâ volebant sese extollere, Deoque pares esse; in Appetitu sensitivo pravam concupiscentiam, quâ ille iam solutus, & rationis dictamini repugnans in fructum arboris vetitæ motu inordinato ferebatur, Genes. 3. v. 5. 6. Hoc vocari potest *peccatum originis originans*, quia primam originem dedit omnibus peccatis, *unius enim lapsu multi mortui sunt* Rom. V. v. 15. (2) Pro peccato, quod in prima nostra origine contrahimus, & à quo cetera in nobis peccata propullulant, & originem ducunt. Dicitur hoc *peccatum originis originatum* ob rationes supra th. IV. adductas. Quando hoc loco agimus de Peccato Originis non Originans intelligimus, sed Originatum, quod à nonnullis peccatum *naturale* seu *naturæ* vocatur, non quasi vel ipsa hominis natura, vel ejus pars sit, sed quia cum natura hominis statim propagatur, ei-
H que

que radicitus inhæret, nec à natura humana in statu post lapsum separari & abesse potest.

XLVI. Definitione igitur Anselmi ab Apologia August. Conf. approbatâ, quâ dicitur *Peccatum originis Carentia justitiæ Originalis*, quæque formale ejus tantum exprimit, uberius expensâ, accedimus ad alteram, quæ præter formale peccati etiam materiale includit. Est illa D. Thomæ, Apologia C. A. æque ac prior placens. Sic autem inquit Thomas primâ secundæ quæst. 82. art. 1. *Peccatum Originis habet privationem Originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ, unde non est privatio pura, sed quidam habitus corruptus.* Huic Thomæ definitioni respondet Peccati Orig. descriptio in ipsa Confessione August. extans; quâ docent Ecclesiæ nostræ, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, h. e. sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentiâ. Quæ autem sit ratio, quòd confessores expressam concupiscentiæ fecerint mentionem, in Apologia exponitur his verbis: *Adversarii in scholis fatentur materiale (ut vocant) peccati Origin. esse concupiscentiam, quare in definiendo non fuit prætereunda, præsertim hoc tempore, cum de ea nonnulli parum religiosè philosophantur.* Utamque igitur definitionem, tum eam quæ formale tantum, tum istam quæ materiale simul exprimit, si recte intelligantur, esse bonam, Apologia A. C. haud obscurè innuit hisce verbis: *Hæ sententiæ consentiunt cum scripturis.* Nam Paulus interdum expressè nominat defectum, ut 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt;* Alibi concupiscentiam nominat efficacem in membris & parientem malos fructus.

XLVII. Lucem præcedenti thesi foenerari poterunt verba Excellentissimi Domini D. Fridem. Bechmanni, Præceptoris & Patroni nostri observanter colendi, quæ extant in accuratissimo Dnn. Theologorum Jenensium scripto Anno 1677. edito sub titulo: *Ausführliche Erklärung p. 234. Peccatum*

tum Originis, inquit, abstractivè (formaliter) in mera privatione consistit, nempe si communem spectes conceptum, in ἀνομίᾳ, si proprium, in Carentia justitiæ Originalis, quod tamen è trahi nolumus, quasi peccatum Origin. sit leve aliquod malum. Sicut enim Justitia Originalis fuit intima humanæ naturæ perfectio; ita Peccatum Originis intima est & profundissima ejusdem corruptio, hominem privat insignibus illis bonis quæ Orig. Justitia importabat. Si vero concretivè, (quoad materiale simul & formale) accipitur peccatum originis, præter ἀνομίαν & carentiam Justitiæ Original. importat etiam subjectum aliquod, cujus respectu recte Entis positivi rationem habere dicitur. Non autem intelligimus subjectum QVOD aut QVO, hominem scil. vel animam ejus, sed tale subjectum, quod cum ἀτάξια sumtum peccati appellationem habet, seu peccatum dicitur, quod nec de homine vel natura humana, nec de anima hominis, licet cum ἀτάξια spectetur, dici potest. Tale autem subjectum est Concupiscentia. Hæc enim sumpta cum ἀτάξια peccatum (concretivè) dicitur.

XLIIIX. Et hoc ipsum quod Summe Rever. Dn. D. Bechmannus dicit, usu loquendi tum Scripturæ, tum vulgari confirmatur. Sane Paulus Rom. 7. v. 7. & Jacobus c. I. v. 15. in hoc sensu vocem Concupiscentiæ capiunt, nimirum pro toto concreto, h. e. pro pravâ concupiscentiâ, prout præter vim concupiscendi naturalem etiam ἀνομίαν includit. Eodem significato germanicum Augustanæ Confessionis Carolo V. Imperatori exhibitum exemplar, vocem concupiscentiæ intelligit, inquiens: Das wir voll böser Lust seyn. Imò in communi consuetudine loquendi cum peccatum nominare volumus, ut plurimum utimur vocibus concretivis, quæ materiale & formale simul involvunt, v. g. Adulterium, Furtum, Homicidium &c. Sic concubitus cum alterius uxore adulterii nomine venit, etsi aliud sit concubitus secundum se, aliud ἀτάξια eidem adhærens. Non male igitur distinguitur materiale, quod est subjectum peccati, in remotum & proximum. Materiale remotum est ex genere rerum naturalium, quæ nomen suum & definitionem retinent, seu peccati, seu

eius oppositi subiectum sint: & proinde ex usu loquendi distinguntur à bonitate & malitia morali, quæ ipsis inest, nec v. g. Homo qui est substantia, voluntas quæ est potentia naturalis, dicuntur peccatum, sed homo peccator, natura hominis peccaminosa, Voluntas peccatrix, intellectus obtenebratus, &c. *Materiale proximum* est ex genere rerum Moralium, nempe habitus, aut inclinatio, aut actus, quæ ita bonitatis & malitiæ morales capaces sunt, ut cum eâ in rem ejusdem nominis coalescant, & pro ratione bonitatis & malitiæ morales adjacentis aliud atque aliud nomen, aliam item atque aliam definitionem fortiantur. In hunc censum concupiscentia quoque seu vis appetendi, aut appetitio ipsa referri debent, quæ bonitate morali imbutæ, virtutis nomen merentur; sed malitia morali infectæ, vitia dicuntur. Observandum hoc omnino est, contra *Scholasticos* bene multos, qui concupiscentiam in homine non vitium sed ἀδιάφορον s. rem indifferentem esse asserebant, non quidem eo sensu, quo per concupiscentiam sola naturalis concupiscendi facultas, præcisa OMNI justitiæ Orig. privatione, quæ isti facultati post lapsum inhæret, & per quam ἀνομιος, Deoque exosa fit, intelligitur: Sed concupiscentiæ nomine indigitabant vim concupiscendi solum absque externi cujusdam superadditi naturæ domi præsentia, quod tantum per lapsum Adæ fuerit amissum, naturalibus hominis viribus manentibus integris: eamque integritatem intelligi volebant non de sola integritate quadam Physicâ, & eâ, quæ homini essentialis est (animæ enim facultates physice & essentialiter consideratas non fuisse deperditas, apud nos quoque dubio caret) sed morali, virium scil. ea rectitudine, ratione cujus ita integræ illæ manserint, ut δύναμις quandam ad actus moraliter bonos legique conformes sese determinandi retinuerint. Hoc Pontificio sensu concupiscentiam ἀδιάφορον esse, nixis clarissimis scripturæ locis, strenuè negamus.

XLIX. Haud forte abs re fuerit, si hac occasione in naturam



ram Concupiscentiæ ulterius inquiramus. Concupiscentia tripliciter dicitur: (1) pro inclinatione ad concupiscendum malum; & ita consideratur in *actu primo*, quia per operationem sese nondum exerit, estque ipsum peccatum Originale, vel, si ex parte appetitus sensitivi sumatur, particula peccati originis. (2) *In actu secundo* pro ipsis motibus indeliberatis, & involuntariis (vocantur aliàs *motus primo primi*;) qui subito contra rationem insurgunt, eâdem non consentiente. Et hoc modo concupiscentia in actu secundo considerata, etsi actuale quid est, non tamen peccatis actualibus annumerari, sed ad originale referri solet. Cujus rei causa videtur esse, quod motus illi inordinati proxime & absque interventu *περὸς τὸ πρῶτον* ex peccato Orig. fluant, & ita præter voluntatem, ex naturæ, qualis ea nunc est, necessitate quadam in omnibus hominibus exsurgant. (3) *In actu secundo* quidem, sed pro motibus voluntariis, seu quibus voluntas consentit, & ratio succumbit. Concupiscentiam in tertiâ significatione peccatum esse, dubium non est, & ex ratione notum. Quod autem non tantum *Concupiscentia in actu secundo* considerata, seu motus indeliberati & involuntarii contra rationem insurgentes, sint peccata, sed etiam *concupiscentia in actu primo* sumpta pro inclinatione saltem ad malum, licet illa non erumpat in actum, ne quidem indeliberatum, & involuntarium, de eo ex ratione nihil constat, sed ex Scriptura S. cognoscitur. Ex S. Pauli epistola ad Rom. c. VII. ita procedimus: Dicit Apostolus vers. 7. *Concupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, non concupisces.* Ibi expressè Paulus dicit, se non nosse, concupiscentiam esse contra legem, (adeoque peccatum) nisi ipsa lex dixisset, *Non concupisces.* Id Paulus de concupiscentia in significatione tertiâ seu proæretica, & cui mens consentit, intelligere non potest; hanc enim peccatum & contra legem seu ordinationem divinam esse, id recta quoque ratio sine lege revelatâ dicitur. Necessè igitur est ipsum de concupiscentia *in actu primo*, seu de inclinatione ad malum, licet in actum non tradu-



catur, & deinde de eā quæ in actu secundo, sed involuntaria est, loqui. Res satis clara est ex Pauli verbis: Versu 20. citati cap. VII. dicit, quod si id facio ego quod nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat. Dicit Apostolus, se id, quod non vult, facere; quod de proæretico peccato intelligi non potest; Si enim cum proæresi & consentiente voluntate quis quid facit, id omnino facit & perpetrat. Necessesse igitur est intelligi de eo, quod citra voluntatis consensum agitur & perpetratur, i. e. de actibus secundis concupiscentiæ indeliberatis, & involuntariis, & id ipsum, sive hos motus dicit ortum trahere ex eo quod peccatum est: hoc autem aliud esse non potest, quam *Concupiscentia* in actu primo, seu inclinatio ad malum, quæ per peccatum inhabitans indigitatur.

L. Cum igitur quodnam peccati Orig. materiale sit, dispexerimus, nonnulla de ejus quoque Formali veniunt monenda. *Formale* (1) idem est ac *Essentiale*, quod ex Materiali & formali constat: v. g. formalis ratio hominis hoc sensu non in sola anima sita est, sed præterea includit ejus corpus, hujusque cum anima unionem, seu, consistit in corpore organico & anima rationali inter se unitis. (2) *Formale* sumitur pro altera tantum compositi parte, *materiae*, aut ei quod instar *materiae* est (materiali) *contradistincta*; quomodo anima, ejusque cum corpore unio formale hominis est: Albedo est ratio formalis albi; Calor calidi; quæ non simul involvunt subjectum, cui inhaerent. Harum duarum acceptionum discrimen prolixè inculcat Zabarella l. de nat. Cæl. c. 8. quo observato, in proclivi erit respondere, ad questionem illam variis eruditorum scriptis nobilitatam; *An formale peccati includat aliquid positivi?* Si in priori significatione quis statuatur, peccatum formaliter non solum esse carentiam, sed simul aliquid positivi, nihil videtur dicere absurdi, quia sic involvit materiale, seu subjectum, cui peccatum adhæret, quod est vel actio, vel facultas, vel habitus, & verè aliquid positivi. In alterâ autem significatione peccatum non est formaliter aliquid positivi, sed *divoluta* tantum, adeoque in mera privatione consistit. Quæ ratio autem est peccati in genere considerati, eadem quoque est peccati Orig. Eodem sensu distinguunt eruditi inter peccatum Orig. *abstractivè* & *formaliter*: & inter idem *Concretivè* & *materialiter* sumtum, dicentes: Peccatum Orig. *abstractivè* & *formaliter* (quando *pro* formale significatione posteriori capitur) esse meram privationem propriè & accuratè loquendo;

do; Concretivè autem non esse meram privationè, sed esse etiam *positivum* quid, nempe *ratione subjecti & materialis*, quod in suo conceptu involvit & connotat: ita ut *Materiale* s. *subjectum* in casu recto; *avouíav* vero & privationem in casu obliquo importet. Hac ratione *concupiscentia prava* ad peccatum *Origin* pertinet, & peccatum propriè & accuratè loquendo est, quia rationem formalem peccati propriè & accuratè dicti nempe *avouíav* i. e. carentiam perfectionis inesse debità, inordinationem & pravitatem in se continet; est tamen peccatum *concretivè* sumtum, cujus vera descriptio est, quod *Peccatum originis sit concupiscentia connata avouíav, sive inordinata*. Ultroq; modo Scriptura quoque sacra de peccato loquitur. De peccato *Origin* formaliter & abstractivè sumto S. Johanni sermo est 1. Epist. c. 3. v. 4. quando peccatum vocat *avouíav*, quæ formaliter & præcise non Entitatem positivam, sed privationem notat. Peccatum autem *Orig.* concretivè & materialiter sumtum, notatur Gen. c. V. & c. 8. v. 2. Ubi *figmentum* vel *cogitatio cordis humani* dicitur peccatum omni die. Et Rom. 7. v. 7. *Concupiscentia dicitur peccatum*; it. v. 5. 20. 23. quæ omnia non possunt præcise de nuda privatione accipi; sed necessario capienda sunt de habituali in malum pronitate nobiscum natâ, quæ istorum affectuum & fons & fomes existit. Sed ne noctuas Athenas portare nos velle videamur, lectorem curiosum ad ingeniosissimum Dnn. Theologorum Jenensium scriptum ante laudatum remittimus.

LI. Est autem adhuc alia *formalis* significatio, qua *culpa, macula, offensa, reatus* item seu *obligatio ad pœnam* formale peccati à nonnullis dicuntur. Et sic notandum, quod peccatum possit considerari dupliciter: (1) *Absolutè & in se*, & ita propriè & strictè. (2) *Respectivè* ad subjectum, quod afficit. Si priori modo consideretur peccatum, Formale eius est *avouíav*. In posteriori sensu Formale quoque peccati dici possunt *Culpa, macula, offensa, reatus*. In latiori enim significato *Formale peccati* cujusque rei dici etiam solet id, quod *subjectum afficit, eique denominationem tribuit*. Per culpam autem, maculam, offensam aliquis culpabilis, maculatus, aliique tanquam offendens, exorsus, per reatum pœnæ reus constituitur, & denominatur, æque ac per *avouíav* & difformitatem aliquid dicitur illegale, injustum, aut difforme. Quod autem hoc posteriori modo *Formale* impropriè & latè sumatur, inde patet, quia *formale strictè* sic dictum
Phi-

Philosophis illud est, quod primo in re concipitur, ita ut ejus in re non detur ratio à priori, cur rei competat, v. g. rationalitas in homine. Sed culpa, macula, offensa, reatus, rationem à priori omnino agnoscunt, quæ est *difformitas* à lege cujus sunt consecutiva. Hæc enim sola est earum causa, ita ut ejus nulla amplius detur ratio prior, ceteræ autem, effectus potius & consequentia peccati sint. Quod si igitur differentiæ causæ *ἀνομιαν* seu difformitatem quis cum apposito dicere velit *Formale peccati constituens*, Culpam vero Maculam, Offensam, Reatum, *Formalia peccati consequentia*, nos repugnantes non habebit.


LII. Ex dictis in proclivi erit judicare, quo sensu nonnulli asserant *Formale peccati in Baptismo tolli*. Nimirum loquuntur de formali aliquo consecutivo, i. e. reatu seu obligatione ad pœnam, non de formali constitutivo, cujus sublationem Pontificii somniant. Nullum igitur est argumentum Bellarmini objicientis; *Ubi tollitur formale peccati, ibi tollitur ipsum peccatum; Atqui in Baptismo tollitur ipsum formale peccati; Ergo*. Major probatur, quia sublata rei forma, non manet ejus rei natura, cum forma sit præcipua pars imo ipsa ratio & quidditas rei. Minorem dicit concedere Lutheranos. Sed observatio discrimine inter *formale constituens* & *consequens*, dicimus; Ubi tollitur peccati formale constituens, ibi tollitur ipsum peccatum; sed sic negamus minorem. *Instes autem: Formale consequens non potest à re separari & tolli, prout nec formale constituens, v. g. Docilitas, Risibilitas, sunt consequentia formalia hominis; rationalitas vero formale constituens. Quemadmodum autem rationalitas ab homine quamdiu homo est, tolli non potest, ita nec risibilitas, docilitas, ab eo separari possunt.* **¶** Concedimus, quod *formale consecutivum* à re, cujus est formale, non possit tolli. Unde recte intelligendum quod dicitur; Reatum sive obligationem ad pœnam in Baptismo tolli; Tollitur non à peccato ipso, sed à persona vel subjecto, peccato contaminato, dum peccatum ei non imputatur, sed condonatur, & pœna remittitur. Hæc quæ de Peccati Origin. Existentiâ & Quidditate ex eruditissimorum Theologorum, cum primis celeberrimæ nostræ SALANÆ & inclytæ JULIÆ, Præceptorum omni honoris cultu æternum nobis venerandorum scriptis publicis & lectionibus privatis observavimus, publicæ disquisitioni subicere visum fuit, quibus in præfenti plura non addimus. Sit autem


Deo Ter Opt. Max. laus, honor & gloria in sempiterna secula,

F I N I S.









Farbkarte #13

B.I.G.

43
2
TATIO THEOLOGICA
DE
CATIONORI-
INALIS

Existencia & Essentia,
seu
in qua ostenditur,
quid revera detur & quæ ejus sit
quidditas & natura.

Quam
ente Divini Numinis gratia,
PRÆSIDE
ANNE GUILIELMO BAJERO,

olog. Doct. ejusdemque Profes. Publ.
atrono & Præceptore suo pia ve-
neratione æternum colendo,

publicæ disquisitioni submittet
ES BALDUINUS VOLMER,
HANNOVERANUS,

XVII. Januarii ANNO c1b 1bc LXXXIII.

E, Typis Johannis Jacobi Bauhoferi.